THESAURUS PATHOLOGICO-THERAPEVTICUS:

EXHIBENS

SCRIPTA RARIORA

ET

SELECTIORA

AUCTORUM ET INDIGENORUM ET EXTERORUM,

QUIBUS

NATURA AC MEDELA

MORBORUM TAM INTERNORUM QUAM EXTERNORUM

ILLUSTRANTUR ATQUE EXPLICANTUR:

QUEM COLLEGIT ET EDIDIT

Dr. JO. CHRIST. TRAUG. SCHLEGEL

SERENISS. PRINCIP. REGN. DE SCHÖNBURG CONSILIAR. AULIC. ET ARCHIATER, DYNASTIARUM WALDENBURG ET LICHTENSTEIN CET. PHYSICUS ORDIN. ET ACADEM. CAESAR. NATUR. CURIOSOR. SODALIS.

Volum. II. Pars I.

LIPSIAE

SUMTIBUS FRIEDER. SCHNEIDER 1793.

VIRO
ILLUSTRI atque EXCELLENTISSIMO
JOANNI
CHRISTIANO GOTTL.
ACKERMANN
MEDICINAE DOCTORI
ejusque
IN ACADEMIA ALTORFINA PROF. CELEBERRIMO
ET ACAD. CAESAR. NATUR. CURIOSOR.
SODALI cet.
AMICO
SUAVISSIMO, AESTUMATISSIMO
Volumen II. hujus Thesauri
D. D. D.
EDITOR.

LECTURIS
S. P. D.
Dr. SCHLEGEL.

Non est, quod operis causa multa praefarer: iudiciis enim censorum de volumine primo hujus Thesauri, ad opus inceptum sine mora continuandum atque volumen quoque secundum edendum, commotus fui.

Sisto nunc partem primam voluminis secundi, spemque habeo, Vobis, L. B., non esse displicituram. Continet tria scripta sat magni momenti, cum morbi cutanei, quibus gens humana est tam frequenter obnoxia,

obnoxia, plane quidem atque diſtincte his exponantur: praetereaque cum prior imprimis libellus & poſterior, quos recudi jam curavi, inter rariores in Germania omnino referantur, & ille, qui medium tenet locum, tantum paucis in manibus verſetur.

Studebo, ac operam dabo & in poſterum, ut Sylloge, a me curata, Vobis ſit ex uſu non parvo: quod ſi intellexero, non parum mihi gratulabor. Fruimini itaque mecum his, atque meis ſtudiis ſemper favete. Dabam Waldenburgi die XV. Martii MDCCXCIII.

Conſpectus

Conſpectus contentorum

in parte prima voluminis ſecundi.

3.

I.

H. F. A. DE ROUSSEL,

MEDIC. PROFESS. IN ACADEMIA CADOMENSI

TRACTATUS

DE VARIIS

HERPETUM SPECIEBUS, CAUSSIS, SYMPTOMATIBUS, MORBIS AB HERPETICA LUE ORIUNDIS, ET REMEDIIS EXPUGNANDAE CUILIBET AFFECTIONI HERPETICAE IDONEIS.

CADOMI, 1779.

DE
HERPETE.

Ex innumeris aegritudinibus, quibus eſt obnoxia gens humana; herpete nulla frequentior, moleſtior nulla, nulla vitae magis inſidioſa. Vaſta quidem auxiliorum herpetibus expugnandis idoneorum ſeges in aerariis Medicantium reponitur. Verum hiſtoria morbi vocibus incertis modo contexta, modo manca; obſervationum, quibus in eradicandis vel refringendis herpetibus, artis aut naturae conatus elucefcunt, indigeſta diviſaque moles; varia Medicorum de variis herpetum ſpeciebus, cauſis & curatione ſyſtemata non leves arti remoras intulerunt. Senſit ill. Medicorum Lugdunenſium Collegium quantum ſtudioſis & vaſta Medicinae caſtra nondum emenſis inſerviret opuſculum, in quo macularum herpeticarum ortus, phaſes & exitus ordinarentur. Operis dignitate motus, laborum primitias huic adimplendo laetus conſecravi: proprias obſervationes mente ſincera propoſui: ab aliis vi-

 ſa

ſa & utiliora, quantum aeſtimare et colligere potui, diligenter ſelegi: cutis, excretionum cutanearum hiſtoriam; cum corporis humani penetralium defecatione ſympathiam breviter tradidi: varias herpetum imagines cum nominibus adumbravi; & Medicis quorum obſervationes vel conſilia mutuatus ſum, debitum honorem perſolvi: eorum obſervationibus adſtructus herpetum cauſas, diagnoſim, & prognoſim delineavi; ordinemque medicaminum huic vel illi herpeti debellando magis idoneorum aſſignavi: praecipuas in curatione variarum herpetis ſpecierum cautelas propoſui: vana ratiocinia, ſyſtemata, leves errores reticui.... negotiis implicitus, temporis anguſtia coercitus, librorum operi perficiendo opportunorum penuria impeditus, at ill. Academiae incitamentis percitus: diſſertationem, quam vovet utilitati publicae juvenilis, necdum firma manus, lubens exhibeo. Benigne excipiatur & in Reipublicae commodum vertat, quid votis noſtris addendum ſupererit?

CAPUT I.
De Cute & vario ejus usu.

SECTIO I.
De Cute & ejus functionibus.

1. Omnibus & singulis humani corporis organis suus est partium ordo & nexus, sua vis, suum officium, suaque & mutua omnium consensio.

2. Omnibus & singulis humoribus sua datur indoles, suus organa decurrendi modus, suum ad perennitatem animalis oeconomiae ministerium.

3. Ut evolvatur, crescat, stet corpus; rore nutritio sustentari solida necessum est. Hujus elaborationi navant operam sita variis in corporis partibus viscera. Os alimenta parat. Horum succos & feces extricat alimentaria fistula. Manans exinde nutritia materies, liquorum heterogeneorum undis conspurcata stillat in sanguinis oceanum. Repetitis incuneanda vasorum ictibus, in exilissimos canalium maeandros labitur. Cum ultimus tangit elaborationis gradus, ad omnes & singulas corporis partes aeque distribuitur, alienis huc & illuc expurganda particulis. Recrementorum pars major per insita vasorum parietibus emunctoria & porulos e vasis rubris ablegata, aut cutaneis exsudatur du-

ctibus, aut per urinae vias, inteſtinalem-ve fiſtulam eliminatur.

4. Cutis eſt corporis involucrum filis vaſculoſis & brevibus laminis intricatis, arcte cohaerentibus ſtipatum. Denſior eſt exterior illius facies. Interior vero ſenſim ita laxatur, ut denique continua degeneratione, cutis in celluloſum textum reſolvatur; nec uſquam certi ſint utriusque limites *a*).

5. Etſi vis irritabilis cuti non ſit eadem, quae muſculis, nec ſtimulis obediat; nihilominus aliqua vi donatur, ſic ut extenſa ſe retrahat, frigore ſtringatur, rigeat in affectibus animi, &c. *b*)

6. Cuticula eſt involucrum cutis univerſum; ab aëris injuriis liber; aegre colliqueſcens in aqua; inſenſile prorſus; a tela celluloſa quadantenus alienum; ſulcis & rugis diſtinctum; foveolis excavatum; canaliculis & foraminibus inſtructum; pilis, non in omni tamen regione cutis apparentibus, hirſutum; horum, tubulorumque exhalantium & inhalantium opera cum cute revinctum ſimplex; planum; in vola manuum, planta pedum, &c. craſſius; in mammis, cute capillata tenerrimum; in ipſa facie tenuiſſimum.

7. Cuticula medicamentis erodentibus, igne vel aqua fervente tacta duas in laminas reſolvitur. Harum exterior, epidermis proprie dicta, ſeparabilis eſt in furfures majores minores ve, aut ſquamas triplici nonnunquam ordine ſibi impoſitas.

8. Epidermidem Europaeorum, exteriorem *reticuli* laminam haud immerito diceres, cum *reticuloſum* cor-

a) De Haller, Element. Phyſiolog. Tom. V. Lib. XII. Sect. prima §. II. pag. 3.

b) Idem, ibid. §. 5. pag. 7.

corpus ſit coactus mucus in aqua ſolubilis; cum *reticulum* in membranam igne, vini ſpiritu cogi valeat; cum epidermis in *corpus mucoſum* arte mutari poſſit; cum *reticulum* una regeneretur, quando cuticula renaſcitur *a*).

9. Aegre, potiſſimum in Europaeis, ab epidermide ſeparatur *corpus mucoſum;* ſic ut plures unam eſſe utramque ſubſtantiam affirmaverint.

10. Ut ut ſit, *reticulum* conſtare videtur infinita propemodum cellularum retis ad inſtar ſecum invicem cohaerentium ſerie *b*). His detinetur liquor mucoſus, coactus, qui in Europaeis epidermidi, quam cuti firmius adhaeret; in Nigritis membranam aemulatur; cutem ab externis corporum injuriis vindicat, atque tactus violentiam una cum epidermide moderatur. *)

11. Venae per celluloſam telam ſubcutaneam plurimae & notabiles aliquantiſper incedunt; eo, quo ſuperficiem illius propius attingunt, exiliores.

12. Arteriarum vero cutanearum trunci breves e muſculis emergunt; vadunt in telam celluloſam; inibi ſurculos dant minimos, numeroſos; atque ſua expanſione rete conſtituunt, quod implebat Ruyſchius, ut cutis ruberet velut inflammata.

13. Cum abraditur epidermis, cutis apparet majori ex parte quadantenus inaequalis, innumeris velut hirſuta granulis vel colliculorum acervis arenula minoribus, nunc in ipſa cutis ſuperficie conſpicuis, alias altius in ipſa cute reconditis. Hi monticuli ſuccreſcunt ex nervoſarum fibrillarum (quarum rami majores muſcu-

 lo-

a) De Haller, ibid. §. XII, pag. 19.

b) Astruc, *Traité des tumeurs, Tom. 1er. Livre II. pag. 234 & 235.*

*) *Sublata cuticula, cutis nec veſtes patitur, nec aëris adtactum.*

losis e fasciculis egrediuntur) in unam papillam venientium congerie rubris instructa vasculis ad papillae basim praecipue conspicuis. Haec tela cellulosa revincta sic ad apicem papillae cum nervosis filamentis perveniunt, ut epidermidis foramini respondeant, & per hanc viam roscido liquore possit expurgari papilla.

14. Eo autem exquisitior est sensus, quo nuda magis est cutis; quo major apparet & numerosior occurrit in cute papilla, & vice versa; interea vividior in superficie cutis; eo & obtusior, quo magis ab hac illi recedunt.

15. Tela cellulosa filis & laminis constat vario modo secum invicem ordinatis, quarum *juxta-positione* & cohaerentiis efformantur loculamenta seu poruli tum exhalantes, tum bibuli (§. 6.) His imbres lymphatici haud secus ac in spongia contineri, fluere, circumire, retroagi, huc & illuc agitari possunt... in plerisque cutaneis regionibus adipe plena; in aliis, & quidem raris macilenta; ubique ferme instructa pilorum radicibus, ubique continua, ubique aspera deprehenditur in toto corporis ambitu.

16. Ejusdem propagines musculos subeunt; musculorum fasciculis vaginas suppeditant; nervos excipiunt; mittunt ductus lymphaticos; vasa circumdant & pervadunt; viscera vestiunt; alias eadem altius mille rectis tortuosisve permeant tramitibus.

17. Sic autem expanditur tela cellulosa, ut quae versus abdominis ambitum deprehenditur, musculis incumbat abdominalibus; hos penetret; abdominis viscera vestiat, & mittat laminas in jecoris, aliorumve viscerum penetralia.... tela cellulosa thoracis subcutanea det musculis intercostalibus vaginas; exinde pulmones vestiat; in iisdem inseratur; ad bronchia ipsa & circu-

cumiacentia organa expandatur.... tela faciei subcutanea membranam pituitariam constituat; cranium subintret; cerebrum ipsum pervadat.

18. Distinctis cameris organa praedicta residere diceres; ita tamen ut corporis a dextris & sinistris tela cellulosa separati nulla ferme sit pars, quae cum remotioribus aliquam non habeat consensionem *a*).

19. Variis in telae cellulosae regionibus hospitantur folliculi membranacei, rotundi; simplices; rubris vasculis instructi; quorum longis ductibus, qui cum epidermidis porulis sunt contigui, liquor eructatur blandus, lentus, oleosus, inflammabilis; qui pressa crypta funditur in cutem, capillos oblinit & in aëre siccatur in squamas.

20. Aliud unguen ductilius, siccius, album, *pastaceum, in vermiculos figurabile* fluit ex glandulis *b*) quae reperiuntur sub oculis, in genis, labiis, naso, naribus, externis auribus, cervice, dorso, areola mammae, ano, clunibus, perinaeo, pudendis, scroto, pube, genubus, scapulis.

21. Oleosum utrumque recrementum quod inunctioni cutis non parum inservit, cum insensili perspiratione sensim de corpore subducitur.

22. Ex rubrorum vasorum porulis effluit vapor roscidus, muco nutritio & partibus heterogeneis impraegnatus (§. 3.); ac effunditur in telam cellulosam (§. 15). Pars illius coalescit cum fibris; altera corporis ambitum appellit, cutem permeat, atque per patulos ejus meatus & epidermidis porulos indesinenter avolat,

A 5

a) Legatur Cl. de BORDEU, *Tissu muqueux*. §. XLIV, & seq.. Conferatur cum Bagliv. de Fibr. motrice, Cap. V. pag. 272.

b) De HALLER, ibid. §. XXI. pag. 39. & seq.

lat, aquoſa magis ubi chylus effunditur in humorum oceanum; minus, ſalibus nonnihil feta, dum abſolvitur *haemathoſeos* opus; copioſior, craſſior, ſalibus & fecibus magis conſpurcata (licet ipſo ſudore longe ſubtilior) ubi coctio chyli ſemel peracta eſt.

SECTIO II.

De Sympathia excretionum.

23. Quemadmodum uberior in toto corporis ambitu, ſic parcior in ipſis visceribus per poros eorum inorganicos abſolvitur inſenſilis perſpiratio *a*). Utraque ſecum invicem aliquam habet communionem: aqua enim in abdomen injecta peritonaeo ſorbetur; aut miſſa per abdominis arterias, per omnem viſcerum abdominalium ſuperficiem eructatur; & vice verſa, ex inteſtinorum & ventriculi parietibus, liber aquae datur aditus in abdominis cavum *b*).... Eadem ferme de caeteris viſceribus haud immerito diceres.

24. Variis obſervationibus adſtrui poteſt iſta lymphaticorum ſuccorum in cutem ac viſcera circuitus communio. Quo parcior enim eſt inſenſilis perſpiratio cutanea; eo, ut ſtet illibata ſanitas, uberius effluere debent urinae, inteſtinorumve liquores; & vice verſa, quo copioſior erit inſenſibilis perſpiratio, eo parciora videbuntur caetera corporis recrementa: ſic ſuppreſſam cutis perſpirationem diarrhaea ſequebatur *c*): ſic imminuta inſenſili perſpiratione, urinae augentur, vel ſalivatio ſuccedit *d*): ſic, quae movent urinas aut alvum, mi-

a) ABR. KAW. de Perſpiratione. No. 562.

b) De HALLER, Elem. Phyſiol. Tom. VI. Lib. XIX. pag. 343. & ſeq.

c) RIVIN. de Morb. Aeſophag. pag. 7. Robinſon, &c.

d) GORTER, de Inſ. perſpir. pag. 145.

minuunt insensibilem perspirationem *a*): sic salivam ciet hydrargyrosis, aut alvum emovet *b*): sic vomitus succedebat hydrargiro cuti imposito *c*): sic viscera suis sordibus expurgata cutaneis affectibus ansam suppeditant: sic varii viscerum morbi subsequuntur ulcerum cutaneorum retropulsionem: sic humores ab ulcere ad alvum devenerunt; ab alvo in sudores; hinc in lacrymas; inde in salivam; denuo in alvum, denique ad cutem redierunt *d*).

25. Quo magis expeditus est sanguinis intra vasa motus; quo patentiores sunt, qui hiant in vasorum parietibus poruli; hoc, caeteris paribus, uberius exsudatur sanguinis serum; eo copiosiores lymphatici liquores in telam cellulosam depluunt.

26. Interea corpus otio segni torpeat; aura frigidiore stringatur excalfactum corpus; affectibus animi nonnullis torqueatur homo; vel ratione qualibet obstipentur cutis spiracula; minuetur insensilis perspiratio; cutanei liquores aut alio corrivabuntur (§. 24.); vel in textum cutis cellulosum irruent, leucophlegmatiamque dabunt aliosve morbos: vel intra cutem & epidermidem effusi, vesicas excitabunt, inibi, donec excernatur aut resorbeatur humor, permanentes.

27. Ex adverso sit mollis & laxa cutis: pateant ejus spiramenta: cutem ambiat aër calidior: potu tepido, leviter stimulante suscitentur cordis vires; nec inane sit corpus; tum ampla seri copia veniet in telam cel-

a) Rye pag. 288.

b) Zeller, Docim. Vini lythargirizat. pag. 18.

c) De Haller, Elem. Physiol. Tom. V. pag. 80. & seq.

d) De Gorter, Edit. II. pag. 175.

cellulosam usquequaque corporis expansam, uberius, potissimum inter corporis exercitia mittentur ad cutem imbres lymphatici; validior erit sanguinis motus in cutem; comprimentur cryptae cutaneae; tincta liquore oleoso perspiratio insensibilis ubertim eliminabitur; sudore diffluet cutis.

28. Sudor in homine sano fluidus est, viscidulus, inodorus, saporis subsalsi; varii tamen odoris pro variis ingestis; pro diversis aetatibus; temperamentis; pro variis cutis regionibus in quibus vel sola, vel sebaceo lentore impraegnata lympha excernitur.

29. Licet minorem, quam urina, secum importet acrimoniam sudor; attamen analysi chymicae subjectus analoga lotio dat elementa *a*).

30. Si seorsim a sudore, inquit Cl. Lorry *b*), sordes omnes impetu circulationis ad cutem delatas eraseris, & in aqua solveris, turbida quidem illa primum fiet; *mox sedimenti forma ad fundum, puris instar, miraberis quanta copia partis solidioris detrudatur.*

31. Non solas partes oleosas secum rapit insensilis perspiratio larga, verum & ipsa salia & elementa terrena, quibus hyeme potissimum conspurcata videtur urina; sic ut nonnullis arenulae cum sudore prodierint *c*), aut strigae salinae de cute detersae fuerint *d*).

32. Neque solummodo per praedictas vias liquoribus excrementitiis expurgantur sanguis & alibiles succi;

a) De Haller, Elem. Phys. Tom. VI. Lib. XII. Sect. II. §. II. pag. 48.

b) Introduct. ad Sanctorii Med. Stat. de ponderat. pag. 23 & 24.

c) Schurig. Lytholog. pag. 235.

d) Bohnius, Circul. Anatom. Progymn. XV. de Sudore, pag. 204.

ci; ſed etiam per ductus hepaticos pars magna recrementorum ablegatur.... oleum ex omento & meſocolo in *venam portarum* effundi conſtat experimentis Malpighianis... alkalinei vapores abdominalium viſcerum fecibus alvinis emolliendis inſerviunt; partim corporis peripheriam appellunt; imprimis vero utique reſorbentur & ſanguini ad Portas redituro adduntur *a*).

33. Sanguinem *parte ſua colorante*, moleculis ſalitis, terrenis & aqueis in hepate purgari neceſſum eſt. In hoc lento movetur progreſſu. Portionem ejus defecatam excipit vena cava: partem aliam combibunt jecoris ductus lymphatici; ſordes & recrementa ducunt canales bilarii: bilis in duodenum influit: acritate ſua ſollicitat alimentariae fiſtulae motum: ſubactis immixta cibis acidum occurrit chymum *b*): hic vires ſuas in bilem exerit: cogitur bilis: hujus pars glutinoſa cum terrenis moleculis ab aqua bilis alkalinea ſeparatur: haec ſolvit chymum, cujus in mixtura ſubacidus evadit ſapor: illa fecibus adjungitur & de corpore ſubducitur.

34. Maximam habet relationem cum caeterorum recrementorum evacuatione bilis excretio. Quo validior enim eſt ſanguinis impetus; hoc uberius diſſipantur lymphatici liquores: hoc, caeteris paribus, uberior, acrior, magis aduſta bilis excernitur.

35. At quo magis turgent in bile glutinoſa, terrena elementa; hoc eadem ſpiſſior, lentior, magis iners evadit, & eo facilius in jecore moram trahit, quo plures cauſae, omnes aut ſingulae ſeorſim ipſi vias in inteſtinalem fiſtulam praecludunt.

36.

a) De HALLER, Elem. Phyſiol. Tom. VI. Lib. XXI. pag. 436.

b) De HALLER, ibid.

36. Cum excrementa biliosa fluctuant in jecore, nec torpet *vis vitae;* adsunt *meatuum libertas & fluidorum mobilitas,* fex biliosa variosq́ subit tramites: nunc ex ductibus hepaticis vadit in venam cavam ubi via panditur *a*); & exinde sanguinis oceano abrepta mittitur ad omnes & singulas corporis partes: nunc ex ductibus bilariis funditur in telam jecoris cellulosam, & exinde labitur *b*) in abdominalia viscera eodem textu celluloso cooperta; nunc in thoracis organa *c*) nunc ex ipso jecore funditur in cutem, in qua labes inurit graviores, levioresve pro circumstantiis; *ordinaria est* enim, ut Bianchi verbis utar, *bilis excretionis cum insensibili perspiratione cutis improportio.*

37. Quamdiu sua rite constitutis organis datur libertas, nec elanguescit *vitae vis;* quamdiu suis recrementis rite purgantur sanguis & alibiles succi; tamdiu suffulta constanti solida inter & fluida aequilibrio sanitas illibata remanet.

38. Verum obturentur cutis, aliorumve viscerum emunctoria, nec una excretio gerat (24) vices alterius; excrementa deteriorem mora comparabunt indolem; atque, nisi via qualibet extrudantur, diversa corporibus infligent vulnera.

39. Diversus morborum apparatus, phaenomenorumque morbos concomitantium series maxime sequuntur organi laesi conditionem & sunt affectuum causis, *naturaequae viribus proportionales...* Hinc est quod morbi germina modo graviores, modo leviores inferant stra-

a) Idem, ibid.

b) Swietenius, Comm. in Aph. Boerh. Tom. III. pag. 500.

c) Nonnunquam flavedo in thoracem penetrat. Morgagnus, Epist. Anat.

ſtrages; nunc protinus evolvantur, nunc diu delitescant in corporibus antequam ſuis manifeſta ſignis appareant.

40. Hujus aſſertionis exempla ſuppeditant morbi cutanei, eo quidem frequentiores, quod natura dum nobiliora tueri videtur organa, ſaepe ſatagat verſus ignobiliora mittere morbi fomitem: quod cutis textus mollis, meabilis, vaſorum multitudine diſtinctus *a)* faveat raptui recrementorum ex corporis penetralibus ad omnem ejus ambitum, &c.

51. Idea igitur uniuscujusque cutis affectus ex illius conditione, vario cauſarum confluxu, fluidorum indole, & ex his omnibus ſoboleſcenti phaenomenorum agmine potiſſimum aeſtimanda venit. Haec omnia diſquirenda ſunt de herpete, cujus characteres antequam evolvamus, pauca de herpeticarum affectionum nomenclatura praemittamus.

a) GALENUS de morb. cauſis, Cap. VI.

CAPUT II.

De Herpete.

SECTIO I.

De Herpetis nomine.

52. De cutis ulceribus & affectibus puſtuloſis adeo confuſe diſſeruerunt Barbari, Graeci, & Latini; varias adeo voces uſurparunt *a)*; eorum ſpecies conſti-

a) SAM. HAFENREFFERUS de cut. affect. Lib. I. Cap. 13. pag. 91. GABR. FALLOPIUS de ulceribus Cap. 9. fol. 8, & ſeq. STEPH. BLANCARD inſtit. chirurg. Cap. 26. pag. 254.

constituerunt adeo perturbatas; symptomata nunc aliquot omisere; nunc affectionum exitus reticuerunt: alias pares curandi methodos in disparibus aegritudinibus commendarunt *a*), ita, ut quid sit hic vel ille cutis affectus; quo pacto discernatur ab altero; quinam sit ejusdem exitus, quaenam admittenda curatio, ex illorum operibus determinare non parum sit operosum, nec immerito LANGIUS exclamaverit *b*), „Utinam ne quis nisi propria inventa & a se experta conscribere auderet! Nec enim salutares herbae cum noxiis mixtae fuissent, nec omnia apostematum genera & curae cum nominibus magno mortalium periculo confunderentur...“ Vitium ejusmodi vitabitur tradita, quam accuratius fieri poterit, herpeticorum affectuum historia.

43. Cutis admodum frequens vitium est pustula, *cujus appellatione comprehenditur quidquid rotundo schemate leviter extuberat in cute c*).

44. Pustularum duplex est genus: ad prius revocantur siccae, quae nec saniem, nec pus, nec humorem continent: ad posterius humidae, quae variae magnitudinis, varii coloris, variis in cutis regionibus insident; quae nunc leviter extuberantes superficiem cutis veluti lambunt; alias altius in cute reponuntur; & omnes humorem tenuem aut crassiorem, fatuum vel acrem nunc gerunt, nunc exulceratae profundunt.

45. Cum insidet in area cutis majore vel minore pustula, vel pustularum magis minusve pruriginosarum congeries, quarum basis est rubicunda, acumina vero squamulis furfuraceis, squamosis, crustaceis operiuntur:

a) NIC. LEONICENUS de morbo gallico Liber, fol. 120.

b) Epistol. Med. LIV. pag. 254.

c) FERNELIUS de externis corpor. affectib. Lib. 7. Cap. 5. pag. 667.

tur: vel quae ichorem faniofum, acrem, *vitae viribus indomabilem* profundit cum cutis afperitate, duritie, pruritu, exulceratione, progreffu quafi in orbem; medio, dum *a*) extrema procedunt, fanefcente; & habet aliquam latitudinem macula, morbus adeft fui generis, *herpes* latino, *dartre* gallico fermone dictus.

46. Primarios apud Graecos vox herpetis nunc latiori, nunc ftrictiori fenfu accipiebatur: echtymata enim (PLINII papulas, feu piftitas eruptiones) nuncupabant, feu *magnos herpetas*, omnes tumores in cute fponte florentes, qui magis *b*) exulcerationem facerent, quam tumorem, & herpetas dicebant magnos, vel quia magnum occuparent locum, vel quia cum erofione maligna contingerent. Hinc morbilli & herpetes proprie dicti ad echtymata revocabantur. Alias herpetis nomine donabant omne cutaneum ulcus, quod ferpendo varias impeteret cutis regiones *c*).

47 Aft cum herpetis cujuslibet non eadem conftanter haberetur caufa; non iidem obfervarentur characteres; non eadem femper viderentur in cute phoenomena (fic ut variarum herpetis fpecierum longa foret admittenda feries): ideo Graeci alia invenere nomina, quorum ope varias herpetum fpecies defignarent.

48. Qui Graecorum opera de cutaneis affectibus poftea revolverunt; alii tradita huic vel illi cutis affectioni nomina fcrupulofe fervarunt; alii abjecta Graecorum vocabula proprium in fermonem verterunt; alii, male intellectis Graecorum vocibus, fpecies herpetum &

a) JONSTONUS, de tumoribus ex bile ortis Capit. 2. Artic. 2. pag. 276.
b) MANARDUS, Epift. Med. Lib. 7. Epift. 2. pag. 49.
c) CARDANUS de rational. curand. rat. Lib. 2. Part. 2. de nomine morb. & morb. ipfo, Cap. 2. pag. 95.

& nomina perturbarunt, ſic ut omnis macularum herpeticarum hiſtoria Medica nihil aliud eſſe videatur praeter immenſum choos, in quo huc lumina, illuc tenebrae undequaque ſparguntur.

49 Hinc prodiit vaſta illa herpeticarum affectionum nomenclatura, quam ſi decurrimus, herpes generice ſumptus videbitur vocatus *dartre a)*, *dertre b)*, herpes *c)*, erpes *d)*, erpel *e)*, bubas *f)*, fribe *g)*, aormi *h)*, formica *i)*, papula *k)*, lichen *l)*, malum ſerpens, ſarpedo, ſerpigo, ſerpens *m)*, *ulcus repens n)*, impetigo *o)*, ſcabies impetuoſa, impetes, lepra, pſora, &c.

50. Verum omnis herpes non eaſdem in cute ſtrages infert. Nunc ſummam tantum cutem exedit; modo

a) ASTRUC, *Traité des tumeurs*, Tom. I. Liv. 2. Chap. 2. pag. 270.
b) ASTRUC, ibid.
c) ST. BLANCARDUS, inſtitut. Chirurg. Cap. XV. oper. Med. Tom. II. pag. 442. J. MUNNICKS, Chirurg. Lib. I. Cap. XIX. pag. 83. Joel, &c.
d) FR. JOEL, praxeos Med. Lib. X. Sect. III. pag. 545.
e) SAM. HAFENREFFERUS de cutis affect. Lib. X. Cap. XV. pag. 108.
f) Manget, Biblioth. Chirurg. Tom. IV. Lib. XV. Cap. IV.
g) BONNET, HAFENREFFERUS.
h) VIGIER, *Grande Chirurg. des ulceres*, Chap. II. de la dartre, pag. 515.
i) Avicenna, Fen. 3. Tract. I. Cap. VI. pag. 113. Paracelſus, Tom. II. Cap. 28. pag. 51. Gordonius, de Apoſtemat. calidis, Part. I. Rubric. VI. pag 75.
k) CELSUS, Medicinae Lib. V. Cap. XXVIII. §. 18. Ed. de HALLER, pag. 359.
l) GALENUS de Compos. Med. per gner. Cap. II. Mercurialis, &c.
m) F. JOEL, Chirurg. de ulceribus, VIGIER, &c.
n) BARCHUSEN, collecta Med. Pract. general. pag. 349.
o) FOESIUS in Hippocrat. Sect. II. Lib. II. pag. 114. Barbette, Chirurg. pag. 191.

do cutem & cuticulam; alias usque ad carnes & ossa ipsa descendit: nunc furfuribus, squamis, crustis obteguntur ulcera herpetica; nunc acerrimo solummodo, modo nullo madent ichore; modo pustulis fixis aut serpentibus exasperata videtur cutis; modo simplex adest epidermidis ulceratio.

51. Hinc ex variis herpeticorum affectuum characteribus multae prodierunt ejusdem morbi species, quarum historia tradita facilius elucidatur herpetis genius.

SECTIO II.

De Herpetis Speciebus.

52. Herpes furfuraceus, *dartre farineuse a*), *male dartre b*) papula mitis *c*) herpes siccus *d*) lichen mitis *e*) impetigo sicca, impetigo furfuracea *f*) impetigo *g*), serpigo *h*) furfur, porrigo levis *i*) porrigo furfurosa *k*) furfuratio Barbarorum *l*) ptyriasis quorum-

 dam

a) Astruc, *Trait. des tumeurs*, ibid.

b) Vigier, ibid. Chap. XIV. *de Mentagra*, pag. 367.

c) Celsus, ibid. Cap. XXVIII. §. 18.

d) Vigo, Blancardus, &c.

e) Hyeron. Rubens Ravennas Comm. in Cels. Lib. V. Sect. XVI. XVII. Fol. 216. H. Tryver. Brachel. Com. in eundem Celsi locum.

f) Amat. Lusitanus Curat. Medic. Cent. 11. Curat. 39.

g) R. Morton de Variol. declinat. Cap. X. pag. 129, impetigo mitis veterum, Amati Lusitani, ibid. pag. 171. Perdulcis, &c.

h) Hercules Locor. Commun. Lib. V. Cap. IV. pag. 313.

i) Nic. Piso, de Cognosc. & Cur. morbis Tom. I. Lib. I. Cap. III. pag. 13.

k) Mercurialis de morb. cutan. Cap. VII. pag. 31.

l) Idem, ibid.

dam *a*), darta *b*) terna *c*) &c. iis potiſſimum in cutis regionibus effloreſcit, in quibus epidermis eſt tenerrima (§. 6.), adeoque in mento & cute capillata frequenter occurrit, & multum aemulatur eryſipelas ulceratum quod ſummam cutem impetit, abſque veſicis abradit, ac in furfures reſolvit *d*).

53. Maculae, quae continua eſt, modo rotunda, nunc anguloſa, centrum videtur minus aſperum: margines vero cum aſperitate & furfuribus magis prominent: cutis eſt paulo quam in ſtatu naturali rubicundior; ſiccioribus & perexiguis videtur obſita puſtulis aut granulis oculorum aciem ferme fugientibus *e*, aliquam pruriginem *f*) & ardorem leviſſimum aliquoties inducentibus *g*).

54. Herpes furfuraceus modo, quam primum obtinuit, ſedem ſervat; modo decidentibus furfuribus evaneſcit; modo ſerpit; lento tamen gradu movetur; & ſi vitium rotundum incoeperit, eadem ratione procedit in orbem; *eo, quod primum vitiatum fuerat*, *ſaneſcente.*

55.

a) Vigier, *des malad. de la tête,* Chapit. IV. pag. 495.

b) Riolanus, Encheiridion Anatom. Lib. IV. pag. 300.. *Derbia*, de Vigo *pratique de Chirurgie*, Liv. IV. Tr. II. Chap. XIV. Fol. 192.

c) Caſſius Felix, &c.

d) Cardanus in Aphor. Hippocrat. Sect. V. Aph. XXII. pag. 515.

e) Platerus de ſuperfic. corpor. dolorib. Cap. XVII. pag. 763.

f) Perdulcis, de contagioſis & cutaneis affect. Lib. XII. Cap. VI. pag. 581. Vigier. &c.

g) Vid. Mercurialem, de morb. cutaneis, Cap. VII. pag. 31. in quo diverſae de natura hujus affectus opiniones Veterum conferuntur.

55. Alias, ubi malignior eſt, citius in vicinias expanditur: tota cutis [quod raro tamen evenit; nec niſi ſemel vidimus] exeditur; tumque ut ſaepius in herpetem ſquamoſum abit, vel & aegrotantes humorum labe ſcorbutica foedatos interimit.

56. Herpes ſquamoſus, *dartre ecailleuſe a*) *dartre vive*, Tetter *b*) herpes humidus, impetigo *c*) humida, lichen ferus *d*) impetigo agria *e*) lichen agreſtis, agria papula *f*) falſus pruritus, prurigo, chriſmos *g*) rubrica *h*), herpeticum ulcus *i*) tinea furfuroſa, ſerpigo humida, porrigo humida *k*) furfuratio cum ulcere *l*), &c. ea prae caeteris impetit cutis loca ex quibus adeps, ſerum, gluten uberius exhalantur (§. 19. 20. 21. 22.) Hinc in inguinibus praecipue, ſcroto, perineo & cute capillata; vel & in brachii & genu flexuris ſolet frequentius accidere *m*).

a) Atruc, ibid. pag. 271.

b) Allen, Synopſ. Med. Cap. XI. §. X. pag. 280.

c) Avicenna, &c.

d) Amat. Luſitanus, Curat. Med. Cent. II. Curat. XXXIX. pag. 171.

e) Idem, ibid. Marcellus, &c.

f) Celsus, Medic. Lib. V. XXVIII. §. XVIII. Tom. I. pag. 359.

g) Platerus, de doloribus, Cap. XVII. pag. 763.

h) Hyerem. Thriver. Brachel Comm. in hunc Celſi locum pag. 547.

i) Trincavellius, Conſil. Medicinal. Lib. III. Conſil. CXIX. Column. 687.

k) Nic. Piso, de cognoſcendis & curandis morb. Tom. I. Lib. I. Cap. III. pag. 13. & ſeq.

l) Mercurialis, de morb. cutaneis, Cap. VII. p. 31. 32.

m) Trincavellius, ibid. &c.

57. Cum se prodit herpes squamosus, absque tumore vel inflammatione rubet externa cutis: adeo acerbus nunc praecurrit, modo comitatur, modo subsequitur pruritus, ut frictio non sufficiat ad levamen afferendum, sed unguibus partes discerpi debeant *a*). Apparet macula lata, continua, rubicunda, subaspera, nec tamen conspicuis exarata pustulis, cujus color lividus vel albicans in centro, vividior ac rubicundior ad margines pressione non deletur.

58. Cum fervor cutis adjungitur; exedentur vasa, quibus cum cute jungitur epidermis: haec ichore copioso, peracri, fedito madens resolvitur in furfures humidos, squamulasve saepius humidas, tenues, lineam circiter latas; quae, qua proportione cutem derelinquunt, eadem novae atque novae ipsis succedunt, ac simili modo dimittuntur e cute. Talis herpes squamosi humidi nomen retinuit, cujus, ut plerorumqne herpetum, symptomata (prout non semel vidimus) plena *b*) praecipue crescente luna *c*) exasperantur.

59. Quamdiu copiosus exsudatur ichor, tamdiu macula videtur humida: si vero exsiccantia valideque astringentia applicantur; crustam ducit, sed invalidam & mox humoris copia destruendam *d*).

60. Alias sponte siccatur, rubicundaque vel livida tantummodo deprehenditur cutis, nec ichore madida, nec furfuribus deturpata.

61.

a) Craanen, dissertatio Physico-Medic. de homine, Cap. XLVII. de scabie, psora & lepra, pag. 354.

b) *Maculae & rubores in puero, erysipelas in sene, plenilunio quolibet efflorescebant.* CHRISTOPH. GUARINONIUS Consult. Med. DXXXII. pag. 622.

c) Mem. Natur. Curios. Decad. III. ann. IX. observ. 205.

d) Manget. Bibl. Chirurg. Tom. IV. de tum. p. n. Lib. XVII. §. 18. pag. 28.

61. Nonnunquam, ubi videlicet ichor parcius exhalatur, ſicceſcit epidermis, in ſquamoſos furfures indeſinenter ſecedit; & abraſis ſquamulis, ſubtus apparet cutis nonnihil aſpera; rubicunda; paulo, quam in ſtatu naturali, calidior, cum nullo, vel leviſſimo pruritu.

62. Quo humidior eſt herpes ſquamoſus; hoc major obſervatur humoris acrimonia, fetor, &c. hoc magis ſerpit & expatiatur herpes, hoc acerbior eſt pruritus; qui, cum ſicceſcit macula, ſolet remittere; exaſperari, cum eadem humectatur; evaneſcere, cum nec ſquamis nec ichore foedatur cutis, aſt rubore livido ſuffuſa ſolummodo videtur.

63. Cum acrior eſt humor, penitus deſtruuntur vaſa, quibus cum cute jungitur epidermis (§. 6.): ex rotunda comparatur anguloſa macula; ichor indeſinenter impetit vecinias: unde ſaepe (quemadmodum herpes exedens) genua aut collum cinguli more circumdat; ideoque dicta fuit *collaris* aut *periſcelis*.

64. Alias humoris acrimonia non ſolum externa, ſed etiam interna cutis exeditur; ulcus ad oſſa uſque nonnunqam expanditur; & hanc maculam, cum in eſtiomenum abiit, lichenem agriam (impetiginem agriam GALENI) nuncupant *a*).

65. Talem herpetem & ejus enunciata ſymptomata non raro ſequitur lepra; ſic ut nonnulli lichenem ad lepram viam ſternere dixerint *b*).

66. Tum tota cutis leproſorum ad inſtar finditur, ulceratur, ſquamas cruſtaſve dimittit. Ulceribus exter-

 nis

a) Amatus Luſitanus Curat. Med. Cent. II. Cur. XXXIX. pag. 171. 172.

b) CALMET, *Diſſert. qui peuvent ſervir de Prolegomenes à l' Ecrit. Sainte, Diſſertat. ſur la lepre*, p. 569.

nis adjunguntur interna: ſuccedit febricula; noctu imprimis exaſperantur dolor, pruritus ac febris; putrido diffluunt tabo corpora; maraſmus, inſomnia, ſyncopes, mors preſſo pede ſequuntur.

67. Herpes diſcretus, *dartre benigne, ſeu volage a*), ignis volaticus, &c. admodum familiaris obſervatur apud pueros, ac homines, qui variis in caput defluxionibus ſponte vel arte evaneſcentibus liberantur, & frequenter in facie, rarius in caeteris corporis partibus deprehenditur.

68. Inflammata, paululumque tumida videtur cutis area, cum ardore notabili, nonnihil importuno; cum cutis aliqua tenſione, cum pruritu, &c. tum in diem, citius, tardiuſve prodeunt hinc & inde ſparſae bullulae, milii grano circiter duplo majores; aſt planae, nec multum extra cutem faſtigiatae; modo limpidae, modo citrinae... referta puſtulis area excoriatur; copioſum exhalat ichorem; cruſta cineracea vel ſublutea tegitur, qua decidente, ſana, rubicunda tamen apparet cutis.

69. Cum ſola roditur epidermis, tum evaneſcens herpes diſcretus nulla cicatricis in cute relinquit veſtigia. Ubi vero malignior eſt; ichor acrior, uberior, fervidior in ejus vicinias expanditur; papillas nerveas vellicat; ſanguinis circuitum in ultimis vaſorum propaginibus interturbat: ſimilis oritur inflammatio; prioribus (§. 68.) affines oriuntur puſtulae, quae ſimiliter diſrumpuntur; verſant ichorem; reſiccantur, cruſtam induunt; ac ſenſim evaneſcunt.

70. Cum ulceratam cutis aream uberior appellit ſanies; dimoventur a cute cruſtae, quae hac ratione, priuſquam cicatricetur ulcus, decidunt; nec (jugiter ſtil-

a) Astruc, *Traité des tumeurs*, Tom. I. Chap. X. p. 364.

ſtillante herpetico liquore) regenerantur. Herpes diſcretus tunc humidus apparet cum intenſo fervore, acerbo pruritu & cutis ipſius ſuperficiei exulceratione. Sic deſtructa cuticula, ſupra cutem ſalire videntur guttulae liquoris limpidi, adeo acris, ut ſanas partes, in quas labitur, ſaepius ulceret, ac ſimiliter inficiat.

71. Nonnunquam ſic efferatur ichoris acrimonia, ut non ſolum ſumma cutis, ſed & ſubjectae partes arrodantur. Tum nomen ignis volagrii vel agreſtis ſibi vindicat herpes diſcretus jam ad eſtiomenorum claſſem revocandus.

72. Herpes cruſtaceus, *dartre à croutes a)*, in collo, brachiis & femoribus ſaepius erumpit. Ad pili radicem primum apparet puſtula milio circiter compar magnitudine, quae ſenſim faſtigiatur; eo magis conſpicua videtur, quo cutis ſubjecta magis inflammatur; & eo citius abſque gravi pruritu exulceratur, quo purulentus ichor albicantem ocius induit colorem. Diſrupta puſtula, liquoris albicantis guttula primum excernitur; quam cito ſubſequitur ſtillicidium ichoris non raro ſanguine tincti. Intra diem, ut ſaepius fieri vidimus, exſiccatur ulcuſculum, & obtegitur cruſta cineracea, vel lutea; quae cum ab ichore pabulum indeſinenter accipiat, multum adaugetur, & ulceris diametrum excedit latitudine, non mollis, non levis, ſed aſpera, ſed craſſa, ſed indurata.

73. Cum benignus apparet herpes cruſtaceus; cito, quam induerat, cruſtam amittit & evaneſcit; ſimiles alio ſurgunt puſtulae, quae ſimiliter purulentum humorem, ichioremque verſant, cruſtam induunt, deſquamantur ac relicta levi cicatrice ſimiliter evaneſcunt.

 74.

a) Astruc, *Traité des tumeurs* Tom. I. Livr. II. Chap. II. pag. 271.

74. Cum vero malignior eſt; fluit ichor cruſtam inter & cutem; ulcus multum expatiatur; efferatur pruritus; inflammatur cutis; herpetis margines indureſcunt; multum quandoque tument; in altum ſerpit herpes, modo cruſtis, modo purulenta ſanie conſpurcatus, inter eſtiomenos tum jure numerandus.

75. Herpes miliaris, *dartre miliaire a)*, flechten *b)*, Hair-worm *c)* cenchrias *d)* ignis ſacer *e)* herpes pituitoſus *f)* herpes puſtuloſus *g)* formica miliaris, ſerpigo miliaris, ſerpigo granoſa, herpes granuleus *h)* &c. majorem, quam cruſtaceus, impetit cutis aream; omnes & ſingulas corporis partes indiſcriminatim obſidet, licet paulo frequentius in glabris reperiatur.

76. Proximum herpetis miliaris adventum ſignificant cutis tumiditas & inflammatio *i)*. Tumor ſaepius orbicularis apparet; non protinus ulceratur *k)*; verum ex macula ſenſim ſurgunt puſtulae limpidae, *pellucidae*, *mi-*

a) Astruc. ibid.
b) Manget, Bibl. Chirurg. Tom. IV. de tumorib. Lib. XVII. pag. 28.
c) Stephanus Blancardus, Oper. Med. Tom. II. inſtitut. Chirurgic. Cap. XV. pag. 442.
d) Joel, Oper. Chirurg. de herpete mil. pag. 182.
e) Primum ignis ſacri genus delineatum a Celſo, Med. Lib. V. Cap. XXVIII. pag. 340. Edit. de Haller.
f) P. Forestus, Obſ. Chirurg. Lib. II. Obſ. VII. p. 47.
g) A. Luſitanus, Curat. Med. Cent. II. Curat. 37. pag. 185. P. Forestus, ibid. Obſervat. V. pag. 43.
h) Joubert, Not. ſur les Apoſth. de Gui de Chauliac, pag. 96.
i) Kleinius de morb. exitu & praeſagiis, pag. 259. Rod. a Vega, Art. Med. Cap. LXXXI. pag. 107.
k) J. Alexandrinus, Not. in XIV. Therap. Med. Cap. XVII. pag. 560.

milii modo, vel ovorum piscium, vel ficus granorum ad instar appositae secundum aream a); ardore levi & pruritu, potius quam lancinante dolore molestae; *ut ut non procul a partibus herpete affectis, ante & post eruptionem, dolor erodens a spasmodica fibrarum strictura ortus fere semper sentiatur b)*, qui gravior leviorve pro magis minusve sensibili (14) parte cutis vulnerata, diversoque humoris acrimoniae gradu percipitur.

77. „Febris autem hanc inflammationem comitans, praeter omnes alias, quot quot sunt, mitis ac benigna videtur; atque ex urina, pulsu vel temperie aegre admodum perceptibilis. Rarissime funesta est; unde de ea altissimum apud Auctores silentium. Tempore vero decubitus exacerbari solet, & vigiliis, inquieta jactatione, calore aucto & siti sese aliquatenus prodere c)."

78. Pustulae miliaris herpetis, milii granum vulgo non superant; nonnunquam tamen paulo magis exiguae, hydroas seu sudamina maxime *) referunt; & cum *benignus* est affectus, nec serpit; sero suo tum resorpto, tum exhalato concidunt; arescunt; tenues dimittunt furfures, ardore & pruritu sensim evanescentibus.

79. Cum herpes miliaris sponte vel arte dissipatur, nunc *duriusculis* obsita *tumoribus*, nunc absque tumoribus *duriuscula d)* remanet cutis, & *siccus* tum nuncupatur. Nonnunquam pustulae resurgunt; & totam, quam primum obsesserant, partem occupant *e)*.

80.

a) JOEL, ibid.
b) R. MORTON, de feb. infl. Cap. II. pag. 7.
c) R. MORTON, ibid.
*) Ab his maxime discrepant, quod sudamina nullatenus in aream cutis conglomerentur.
d) Manget. Bibl. Chirurg. Tom. IV. de tumor. P. N. Lib. XVII. §. 18. pag. 28.
e) Manget, ibid.

80. Alias multum expatiatur, *eo, quod primum vitiatum fuerat, ſaneſcente;* & qua proportione ſerpit; eadem in viciniis rubor cutis, calor, *tenſio levis* ac ſtrictura [ut loqui amant aegrotantes), ardor & pruritus invaleſcunt; puſtulae numeroſae conglomerantur, donec via qualibet diſſipentur (78. 79.)

81. Cum ſero nimium acri turget macula; importuno pruritu & ardore moleſta percipitur cutis; ſponte vel unguibus ſcalptae diſrumpuntur puſtulae; rubens, excoriata, ſero ſuffuſa videtur cutis ſuperficies; exſiccatur ichor; abit in cruſtam, quae non prius decidit, quin antea cicatrix ulceris fuerit perfecta.

82. Herpetis miliaris tumor nunc major, modo minor, alias rotundus, nunc anguloſus in cute plures annos non raro moratur; modo ſtat; modo ſerpit; nunc evaneſcit; nunc reſurgit; donec (ni medela facta diſcutiatur ichor) ipſa cutis exedatur; vel humor in viſcera diffluat, varioſque pro variis circumſtantiis inducat affectus.

83. Herpes exedens, *phlyctenodes, dartre eryſipelateuſe*, eryſipelas ulceratum *a*), eryſipelas nothum *b*), eryſipelas ſpurium *c*), eryſipelas veſiculare *d*), vermis repens & mordicans *e*), ignis ſacer *f*), formica miliaris

a) Forestus, Obſ. Chirurg. Lib. II. Obſ. I. pag. 35.

b) Langius, Epiſt. Med. Ep. XXXIII. pag. 132.

c) Tozzi in Art. Galen. Med. Lib. III. Cap. XII. pag. 194.

d) Blancard. Inſtitut. Chirurg. Cap. IV. pag. 426. Leonicenus Vicen. de morb. Gall. fol. 118.

e) Turner, *Traité des maladies cutan.* Tom. I. Chap. V. pag. 113.

f) Alterum ignis ſacri genus quod deſcribit Celſus Med. Lib. V. Cap. XXVIII.

ris ſeu ambulatoria, ut ſaepius ex eryſipelate ſoboleſcit. Cum enim eryſipelas malignum eſt, aut male tractatur, ſolet emittere puſtulas, quae nunc ſudamina, nunc epynictidum aut phlyctenarum bullas aemulantur. Facile ſummum corpus ad epidermidem usque penetrat; *ubi cum retinetur, nec ultra expirat, eam partem exedit* a).

84. Inflammata primum ac rubicunda videtur cutis area; urgent pruritus & ardor; noctu potiſſimum erumpunt puſtulae (§. 83.); aliae diſſipato humore flacceſcunt & in ſquamulas reſolvuntur; aliae diſrumpuntur; humor limpidus; acris, fervidus, nec tamen putris, nec ſanioſus exhalatur; & macula (cum benignus eſt herpes) intra quatuor vel quinque dies evaneſcit.

85. Febris, quae herpetem exedentem ut ſaepius comitatur vel praecedit, nonnunquam epidemicarum genium induit *b*); quandoque malignas peſtilentiales aemulatur *c*), ſaepius vero die tertia qualibet ſuas habet exacerbationes; & varia ſecum importat phoenomena, pro varia corporis conditione & diverſa ſede humoris in viſceribus aliisve corporis organis fluctuantis.

86. Cum in caput detonat morbidi fomitis impetus; febris acutarum ad inſtar ſe gerit; haemorragiae, pervigilia, delirium, cephalalgiae, aurium tinnitus aliquoties *in unum conglomerantur:* rubet facies; & quo vividior eſt cum ardore rubor, eo herpetis eruptio certius eſt praenuntianda. Aliquando concidunt puſtulae, vel ulceratus herpes absque manifeſta cauſa protinus exſiccatur, liveſcit aut nigricat, & aegri *ſtrangulatu rapiuntur.*

87.

a) J. Allen, Synopſis Med. de morb. cutan. Cap. XI. §. XVIII. pag. 283.

b) L. Tozzi, in Aph. Hippocratis, Sect. VII. Aph. XX. pag. 270.

c) Tulpius, Obſ. Medicin. Lib. III. Cap. XLIV.

87. Cum humor circa pectoris, aut illiorum viſcera fluctuat; laſſitudines, inquietudines, praecordiorum anxietates, cordis palpitationes, pulſus interciſi febrem comitantur: ſumma pro variis hominibus in urinis ac alvo varietas: ad eruptionem maculae ſolent remittere vel evaneſcere prava ſymptomata: quandoque tamen ſubſiſtunt vel exaſperantur.

88. Cum humor ex praedictis viſceribus ad cutem ablegatur; macula ſaepe ſe prodit in medio corpore, rarius in extremis artubus, frequenter in coxis, frequentius in inguinibus, & abdomine circa coſtas, praecipue ſpurias.

89. Cum deterioris eſt indolis herpes exedens ex abdominalium viſcerum penetralibus ortus; macula tres circiter digitos lata ſaepius expanditur, & ita quandoque ſerpit, ut totum corpus ad inſtar cinguli circumdet; unde zonae, circini aut herpetis circinati nomine donata eſt *a*).

90. Zona benigna paucos intra dies ut plurimum evaneſcit, Alias, ubi malignior eſt, liveſcit, vel nigricat; vel concidunt puſtulae, dum interim accedunt anxietas, lypothimiae &c. modo reſurgunt puſtulae, & aegrotantium animi revireſcunt. Nunc quod rarius evenit, mutatur in eſthiomenum.

91. Quandoque verſus febrium continuarum declinationem erumpit herpes exedens (§. 83.); & ſymptomata quibus premebatur aeger imperfecta criſi judicatus, evaneſcunt. Hoc latior apparet macula, quo copioſior eſt ichor, & magis fida criſis. Illius reliquiae raro per urinas, frequenter alvo & ſudoribus eliminantur. Tanta nonnunquam appellit cutem ichoris herpetici copia, ut pars corporis major quam media fuerit

a) Manget, ibid.

rit erosa decima quarta die febris miliaris caeteroquin pustulis numerosissimis antea stipatae, prout hoc anno vidimus.

92. In corporibus impuris, cacochimicis, scorbuticis, & senibus non raro se prodit herpes exedens. Macula a zona non multum absimilis praegressa febre ephemera frequentius erumpit in tibiis, cruribus, brachiisve; rarius in medio corpore. Cutis videtur minus inflammata, sed livida magis, & innumeris exarata pustulis quae summum inferunt pruritum, disrumpuntur, ichorem effundunt, ac in squamas tandem resolvuntur. Macula mensem & amplius in cutem aliquoties expatiatur, serpit, vel stat; alias omnem ferme corporis habitum impetit. Talem in quinquagenaria muliere vidit SWIETENIUS *a*). Haec erat scorbutica, & ichor quo pustulae distendebantur, adeo acris deprehendebatur, ut nisi pertusis vesiculis daretur exitus, cutem ulceraret... nonnunquam zonae ad instar in cutem producitur; & ideo zosteris aut zostri nomen ipsi tribuerunt *b*).

93. Herpes estiomenus, *dartre carcinomateuse c*), *dartre estioméne*, herpesti - omenus *d*), herpes ulcerosus *e*), formica corrosiva *f*), pustulae corrosivae, cancri cutis exulcerati, ulcus virulentum, ulcus erodens, ul-

a) SWIETENIUS, Tom. III. Comment. in Aph. Boerh. 1151. p. 609.

b) KLEINIUS, de morb. exit. & praesag. pag. 80.

c) ASTRUC, *Traité des tumeurs*, Tom. I. Liv. II. Chap. II. pag. 271.

d) FORESTUS, Observ. Chir. Lib. II. Obs. V. pag. 42.

e) Amatus Lusitanus Curat. Med. Cent. II. Curat. XXXVII. pag. 185.

f) Avicenna, Fen. III. Lib. IV. Tract. I. Cap. VI.

ulcus depafcens, ulcus exedens *a*), cancer cutis *b*), lupus vorax *c*), papula fera *d*) *Etende Daw-worm e*), &c. majorem fecum importat cutis ulcerationem. In delineatis enim herpetis fpecibus, epidermis fere fola cum *corpore reticulofo* vulnerata apparuit, illaefa vel faltem parum laefa cutis fuperficie. Eftiomenus igitur non folum cutis fuperficiem impetit, fed cutem, carnes ipfas ulcerat; imo nonnunquam ad offa ufque defcendit.

94. Quo acrior eft ichor; hoc externa magis, interna cutis minus exeditur, tumque cutis ardor & pruritus moleftiores funt; quo vero fpiffior eft herpetica fanies, eo, caeteris paribus, altius exedit; dolor & ardor funt fupra pruritum, praefertim cum una tumefcunt induratae eftiomeni margines... fumma datur varietas fymptomatum pro vario ulceris indole, & variis fontibus e quibus originem traxit eftiomenus.

95. Cum ichor magis impetit cutis fuperficiem; tunc indactis vel parum laefis fubjectis cuti partibus magis in latum expatiatur, moleftum inferit pruritum, cutis ardorem, ruborem, copiofi ichoris exfudationem *f*). Ulcus ejufmodi vocant *boubafticum*, *praehumidum*, *ferum*, *agrion*; quod non raro fuccedit herpeti-

a) F. Joel, Oper. Chirurg. de ulcerib. pag. 221. Forestus, Gordonius, &c.

b) Schmitzius, compend. Med. Pract. pag. 193.

c) Th. Bonnet, Oper. Chirurg. Tom. II. Lib. VI. de affectibus externis, Sect. IV. pag. 305. Joel ibid. de ulceribus virulentis, pag. 221.

d) Sam. Hafenrefferus, de cutis affectibus, Lib. I. Cap. XV. pag. 109.

e) Blancard, ibid. Cap. XV. pag. 443.

f) Vigier, *grande Chirurgie des ulceres*, Chap. VI. pag. 25 & fulv.

peti squamoso (§. 64.) exedenti (§. 83.) miliari (§. 82.) discreto (§. 71.) cutis excoriationi, frictioni, ustioni, phlyctenis, &c.

96. Cum talis herpes (§. 95.) iis in cutis regionibus insidet, in quibus parcius exhalantur excrementa, parciorque datur ichor; lente serpit ulcus; magis siccum apparet, minorem infert pruritum; crustis, potissimum squamis obducitur.

97. Alias, ubi liquoribus excrementitiis turget cutis, in latum & altum expatiatur estiomenus; verum lentiori movetur progressu; ulceris ad ossa usque nonnunquam serpentis margines sanie conspurcantur, molles, lividae, tumidae, ichorem albicantem, cineraceum, nigricantemve profundentes. Talis herpes cacochymicis, pituitosis, pinguedinosis & senibus maxime familiaris ad *ulcera cacoethica* revocatur.

98. Alio se modo habet estiomenus cui, prae caeteris obnoxii sunt hypochondriaci, melancholici & viscerum obstructione tentati, in quibus viget solidorum robur, vasa non inania; sed humores crassi, peracres, cum cutaneis porulis eliminari nequeant, pustulis & ulceribus innumeris originem praebent. Exinde orti herpetes estiomeni non solum cutem, sed ossa ipsa cum subcutaneis partibus aliquoties exedunt; & *phagedaenarum* vel *cancrorum cutis* nomine donata sunt, quod margines ulcerum tumidae, induratae, nodosae, inflammatae, glandulis obsitae, varicosae, nunc crustis obductae, nunc ichore madidae, dolore lancinante stipatae, teterrimum sicuti *cancrosae* odorem undequaque spargant *a*)... Varii autem sunt estiomenorum fontes.

99.

a) Vigier ibid. Chap. XIII. du *noli me tangere*, p. 359. P. Poterius obs. Cent. I. Cap. XLII. pag. 40.

99. Thermintlius, Barbarorum *Bothor*, Graecorum *Epynictis*, ſpecies eſt phymatis therebenthi fructu paulo major; plus, minusve protuberans. Macula videtur in cute rubra, ciceris circiter magnitudine, ſupra quam „eminet puſtula, varii, pro diverſo quem continet humore, coloris; nunc albicans (*ut vidimus*), nunc nigra, uti teſtatur Oribaſius, nunc ex nigro viridis. Sanies autem quo magis ad pus venit, eo magis extenuatur cutis, quae tandem extenuata diſrumpitur, & ſic pure arroſum ulcus ſquama obducitur, qua ſublata purulenta ſanies apparet. Ulcus natura eſt ferme maligna. Serpit enim tacite labes; curatione contumax eſt. Nonnunquam rodit & vicinas partes depaſcitur, ita ut pro herpete habeant quidam: fortaſſis autem hi non male cum herpete congruunt eſtiomeno... Licet herpetis naturam non habeant, dici poſſunt tumores herpetici. Sunt vero tubercula, tumoreſve potius quam ulcera; tranſeunt autem in haec ex illis plurima phymata *a*).“

100. Ex thermintho natus fuerat; herpes eſtiomenus, quo totum crus depopulatum fuerat; & cujus durae margines referebant carunculas cartilaginis eroſae fruſtulis ſimiles *b*). Ex Thermintis ut ſaepius oriuntur ulcera quae naſi, palati, &c. membranas & oſſa nonnunquam exadunt. Eo referri videtur *roſa* quam *thymium malignum* ſeu *parvum herpetem* nuncupant *c*).

101. In genere, quo major, craſſior altius in cute inſidet puſtula; hoc majorem infert inflammationem ante & tum ulceratur; durior apparet; lentius expatia-

a) Manget, Bibl. Chirurg. Tom. IV. Lib. XII. Rhazae ad Manſor. diviſion. Lib. I. Cap. CXXXIV.

b) M. Aurel. Severin. Chirurg. efficace, des inciſions, part. III. Chap. LIV. pag. 236.

c) Manget, ibid. Lib. XVI. Cap. XII.

tiatur; altius in carnes & ad offa ufque defcendit; minorem infert pruritum, majorem dolorem, magis foetidum exhalat ichorem; pertinacius in cute haeret; tardius adolefcit, &c. Tales funt omnes ferme eftiomeni, qui ex ulceratis glandulis cutaneis (§. 19. 20.) ortum duxere.

102. Pfydracia, phyzacia funt puftulae fejunctae, milii grano circiter duplo majores, phlyctenis latitudine longe minores; aft acutiores, ac longe duriores. Bafis illarum valde rubet cum ardore notabili: acerbus adjungitur pruritus fic ut ungues ad puftulas invite moveantur, & dolor cum poenitentia preffo fequatur pede; ulceratur apex puftulae; funditur parcus, albicans, fubluteus, valde tenax ichor ex glandulis cutaneis (§. 20.) eructatus.

103. Cum ichor ex vifceribus expurgatis ejicitur in cutem (prout in mulieribus hyftericis vel cacochymicis coffeae potu abutentibus evenire non femel vidimus); febre, calore interno, fiti, anxietatibus premuntur aegri; evanefcunt fpafmodici nervorum affectus, haemorrhoides &c. qui proportione mittitur ad cutem recrementorum colluvies; cutis pfydraciis fejunctis videtur diftincta potiffimum in cruribus & medio corpore; acerbo pruritu tentantur aegri, fic ut neque quietem capiunt, neque fomnum; puftulae aliae intra diem ulcerantur; aliae tum exhalato tum reforpto fero concidunt; cito diffipantur; his novae fuccedunt fimiliter evanefcentes: quatuor aut quinque dies producitur eruptio, donec recrementis ob infirmitatem vifcerum denuo comparatis, princeps recurrat morbus eadem opera naturae fortaffis debellandus.

104. Alio modo fe res habet cum in facie prorumpunt ejufmodi puftulae. Mulieribus imprimis albo fluore laborantibus & fanguineis familiares, in fenibus

raro; frequentius in pueris ac puberibus obſervantur. Rubicundior quam in ſtatu nativo, non tumida tamen apparet cutis area ſupra quam gemmant pſydracia. Baſis puſtularum magis ardet; inflammatur, cum pruritu qui tamen hic tolerabilior eſt: ulceratur puſtula; ichorem plorat ſubflavum aut albicantem; ſiccatur; cruſta tegitur, furfures dimittit; novae ſimiliter erumpunt puſtulae; ſimiliter evaneſcunt; & hac ratione plures annos producitur ichoris ad faciem confluxus.

105. Neque hic ſemper fixi ſunt mali limites. Cum enim malignior eſt herpetis indoles, altius arroduntur viciniae; in latum etiam expatiantur ulcuſcula & pſydraciis ſuccedunt eſtiomeni.

106. Saepius in cute capillata ſedent achores, favi, melicerides „furunculi *a*). Exulceratis ejuſmodi phymatibus foedus admodum effluit ichor pro phymatis indole, humoris mobilitate, colore, acrimonia, odore varius. Tales puſtulae in continuam cutis ulcerationem non raro degenerant, & majori vel minori inflammatione pruritu &c. ſtipantur. Tineae nomen huc affectioni tribuerunt, cujus plures immerito deſignatae ſunt ſpecies *b*).

107. De tinea rectius locutus fuiſſe videtur CELSUS his verbis *c*): „Alterum genus eſt ſubalbidum & furunculo ſimile, ſed majus & cum magno dolore, quod ubi matureſcit, habet foramina per quae fertur humor glutinoſus & purulentus, nec tamen ad juſtam maturitatem pervenit. Si diviſum eſt, multo plus intus

a) Mercurialis de morb. cutan. Cap. IX. pag. 36 & ſeq.

b) Legantur CAPIVACIUS, de affect. cap. exter. Cap. V. pag. 463. & poſt Guidonem de Cauliaco ASTRUC. *Traité des tumeurs*, Tom. I. Liv. II. pag. 379.

c) CELSUS medicinae, Lib. V. Cap. XXVIII. §. 13.

tus corrupti, quam in furunculo apparet, alti usque descendit... Alterum est minus, & super caput eminens, durum latum, subviride, subpallidum; magis exulceratum; si quidem ad singulorum pilorum radices foramina, sint per quae fertur humor glutinosus, subpallidus, crassitudinem mellis aut visci referens, interdum olei; & si inciditur, viridis intra caro apparet; dolor autem & inflammatio ingens est.

108. Ex his liquet tineam; cum serpunt & expatiantur ulcera, verum esse herpetem estiomenum; quod non solum ipsam cutem exedat, verum ipsa capitis ossa valeat absumere. Nec mirum si graves in arte medica viri herpetem & tineam velut eumdem affectum consideraverint *a*), nec discrepantem nisi diversa *materiae peccantis acrimonia; & vario laesionis subcutaneae gradu b*).

109. Scabies in regionibus nostris olim frequentissima, nuper frequens, hodie rarissima, alia sicca, alia humida. Pustulae variae magnitudinis in *humida* non in aream dispositae, sed sejunctae, circa pedum ac manuum juncturas frequentius, crebro in artubus extremis, rarius in medio corpore videntur. Ulceratus apex acrem, saniosum profundit ichorem, siccatur, crustam induit, *cicatrizatur*, desquamatur... Cum acrior est humor, fit continua cutis ulceratio & scabiei succedit estiomenus.

110. Impetigo, serpigo, lepra, mentagra a variis auctoribus vario modo accipiuntur. Frequentior erat olim nostris in plagis lepra. Stant enim extra urbis nostrae Cancellos, Nosodochomii in impetiginosorum, leprosorum imprimis gratiam conditi rudera...

C 3 Verum

a) Swietenius, in Boerh. aph. 1484. Blancard. &c.
b) F. Hoffmann. med. rat. syst. Vol. III. Cap. V. §. XIV. pag. 427.

Verum penitus evanuit lepra, ſaepius occurit impetigo. Ex innumeris enim, quos hactenus vidimus, aegrotantibus nemo leproſus apparuit; impetiginoſi complures deprehenduntur, iique potiſſimum lue venera infecti. Impetiginem dico non morbos omnes leproſos, quales, qui non viderunt, delinearunt, ſed qualem qui obſervarunt, accuratius deſcripſere, puta STEPHAN. BLANCARDUS *a*), prae caeteris WILLISIUS. Hujus haec ſunt verba quibus addendum nihil obſervavimus.

„Imprimis papillae ſive puſtulae modo ſingulares, „modo plures congeſtae in variis corporis partibus, prae„cipue in brachiis & cruribus excitantur; quibus ſingu„lis dum morbus increſcit, undique novae adjunguntur, „& brevi ejusmodi molecularum plures velut aggeres „ſeu corymbi fiunt. Papillae (quae pſydracia magni„tudine referunt) enim juxta quamque ſtirpem primo „in diem erumpentes & latius uſque ſerpentes ſex in or„bem diffunduntur; adeoque exanthematum aggeries „quasque ampliari faciunt. Cujusque harum ſuperficies „aſpera, nonnihil albida & ſquamoſa apparet; unde „ſi ſcalpatur, ſquamae decidunt; & ichor ſaepe tenuis „exudat, qui tamen mox excitatus, in ſquamam cru„ſtaceam rurſus indureſcit. Harum papillarum corym„bi primo exigui & pauciores exiſtunt in brachio, crure, „aliove membro ſingulari; tres forſan aut quatuor ad „magnitudinem denarii aut ſemi-drachmae apparent; „poſtea vero ſi morbus creſcere ſinatur, crebriores ubi„que erumpunt; quae quidem quoad arenas ſenſim au„ctae, poſtea coronam argenteam aut aequant aut ſu„perant; verum non ſemper rotundae aut figurae re„gularis, ſed variiformes exiſtunt. Nec facta medela „affectus pluribus in locis ebulliens & latius ubique ſer„pens

a) BLANCARD, inſtit. Chirurg. de impetigine.

„pens tandem haud solum membra integra, sed & to-
„tum corpus vitiligine leprosa obducit, atque sic sca-
„biem inter & lepram medium obtinet. . . in deteriori
„tamen statu ad lepram revocatur.“

111. Ad herpetem estiomenum revocatur Mentagra, quam nonnulli corrosivae luis venereae symptoma dixerunt. Ex therminthis aliisve pustulis nonnunquam oriebatur; aut sola deosculatione contrahebatur. Tum videbatur in cute macula cum hac epidermidis & cutis erosione, vt lapsu temporis ossa ipsa exederentur: nec raro in lepram degenerabat *a)* mentagra.

112. Nonnulli mentagram ab herpete squamoso diversam non faciunt; quae novus olim in italia morbus apparuit. Mercurialis eorum sententiam validis infirmat argumentis *b)*, quae cum illa hodie non videatur aut rariora sint ejusdem exempla *c)*, praetermittimus.

113. Phlyctenae, phlyctides, elkodes, vesicae, gallice *ampoulles, vessies d)*, sunt pustulae singulatim in cute positae, ut plurimum fastigiatae, fabae circiter magnitudine, ac lineam ferme protuberantes extra cutem. Bullarum modo lucidae distenduntur humore limpido, quadantenus flavo; vesicis haud absimiles, quae ab aqua vel igne ambustis accidunt.

114. In foeminis, quibus menstrua defecerunt, aut *alias recte non purgantur,* saepe in cruribus apparent

a) CALMET, differt. sur l'Ecrit. Ste. Tom. II. sur la malad. de JOB, pag. 281. Petraeus, Nosol. Harm. Cap. 45. de Elephantiasi, pag. 400.

b) De morbis cutan. Cap. VI. pag. 77.

c) Mentagram à se visam testatur M. AURELE SEVERIN Chirurg. *efficace de l'Exopyrie*, Chap. LXVIII. pag. 615.

d) SAM. HAFENREFFERUS; ibid. Lib. I. Cap. XIII.

restituto fluxu menstruo evanidae. Rarius in viris emergunt; ast pueris magis familiares in toto corporis ambitu indiscriminatim erumpunt, frequentius tamen in dorso et cruribus. Basis pustularum modo cum cute concolor, modo rubicunda deprehenditur. Quo acrior est ichor quo bulla distenditur; eo magis rubor, ardor & pruritus intenduntur; & quod in benigniori phlyctena serum resorbetur, id in maligniori facit ulcus; excoriata cutis apparet aspera, ichore rubello *a*) flavescente, peracri madida; nec raro brevi cutis & carnes exeduntur.

115. Cum retroagitur ichor herpeticus, per cellulas telae cellulosae (§. 15. 17.) labitur in varia corporis organa, praecipue viscera in quibus excitat affectus pro vario acrimoniae gradu, pro varia organorum quae virus excipiunt, constitutione varios.

116. Tum febris non raro suboritur stipata delirio, gravi spirandi difficultate; atrocibus doloribus, spasmis, convulsionibus; cum pulsu duro, frequenti, admodum contracto. Hanc ideo nonnulli ad malignas referunt *b*): alii febrium malignarum causam proximam admittunt virus *c*) herpeticum sive retropulsum sive congenitum.

117. Dolores ac symptomata modo graviora, modo leviora, varia sunt pro variis partibus in quas ichor irrumpit, pro duratione decubitus, &c. & vaga sunt, cum nondum fixas egit in corporis penetralia radices, sed per varios telae cellulosae tramites ex organo in organum remeat.

118. In robusto villico topicis retroagebatur herpes squamosus siccus, qui nares maxime conspurcabat; qua-

a) SAM. HAFENREFFERUS, ibid. Lib. I. Cap. XIII.
b) LANZONUS, act. nat. cur. Tom. I. obs. CCXXXI.
c) CL. TISSOT, ep. ad HALLER, &c.

quatuor elapsis mensibus, illum acuta febris invadit; lethargus quem acerbissima praecesserat cephalalgia, subsequitur. Potu largo, diluente, clysmatibus, balneis imminuebatur febris: pulsus venae sectione mollior factus fuerat; in motum actus humor e cerebro divertitur: sanus sibi videtur aeger. Quatuor vel quinque circiter diebus elapsis, atrocissima, fulguris ad instar, accedit colica quam balneis, enematibus oleosis, vesicantibus compescuimus. Subdola redit sanitas & aeger temperamenti sui viribus nimium conquiescens, vesicantia, & omnem (spretis consiliis) medelam dimittit. Quindecim elapsis diebus recurrit eadem febris: alter vocatur Medicus qui vigenti his temporibus epidemicae febri debellandae idonea suasit medicamina. Aeger quinta die atrocissimos intra capitis & praecordiorum dolores moritur.

119. Herpes aqua arsenicali lotus lethalem in puero lethargum induxit *a*)... herpetis squamosi pollicem inter & digitum sedentis & topicis repercussi sequax fuit cephalalgia cum faciei rubedine, valida febre, &c. *b*).... foemina in aetatis flore constituta ex retroactis pruriginosis affectibus in utroque brachio anno quolibet erumpentibus atrocissimam passa est cephalalgiam quae vix remediis sanari potuit *c*).

120. Ab exanthematum ejusmodi retropulsione surdus evadit juvenis *d*)... tinea lotionibus sanata, moritur mulier cujus cerebri hemisphaerium reperitur putridum ac ichore citrino refertum *e*)... Apoplexia non

 raro

a) R. de Hautesierck, obs. med. Tom. II. pag. 312, 313.

b) Raymond. Tr. des malad. dang. à guerir Tom. I. pag. 155.

c) Eller, de cogn. & curand. morb. pag. 158.

d) *Idem* ibid.

e) Bonnet, sepulchret. sect. IV. §. II.

raro ſequitur ichoris herpetici retropulſionem *a)*. Mirum ſane quod virus ſcorbuticum viſceribus laeſis, cerebrum & cerebellum veneretur, quae ſaepius impetit retroacta lues herpetica!

131. Serum quod retroagitur nonnunquam adeo cauſticum eſt, ut ipſa valeat exedere viſcera... a retroactione maculae herpeticae, tracheae arteriae vaſorum eroſio, ſanguinis in mediaſtinum deſcenſus & cita Trombellii mors *b)*... ipſum cor aliquoties eroſum fuit *c)*... nec raro ab eadem cauſa ortum duxere phthiſis, tuſſes ferinae, aſthmata & caetera ejuſmodi *d)*... nonnunquam etiam inde ſoboleverunt acutae thoracis inflammationes *e)*.

132. Cum ichor in abdominalia viſcera corrivatur, parit appetitus proſtrationes, vomitus, ſummas praecordiorum anxietates; colicos dolores; hydropes *f)* atheromata *g)*; rhevmaticos dolores *h)*; gangraenam *i)*; & mortem.

Diverſa igitur corporis viſcera retroacto viru herpetico irradiata obturari, marceſcere, continuove affici ſtillicidio; vel ichore ſuperobruta penitus infici, conſumi lenta ſuppuratione, aut gangraenata ſphacelari, haec

a) F. Hofmann. med. rat. ſyſt. Vol. III. Cap. V. §. XIX. pag. 429.
b) Morgagn ep. anat.
c) *Idem* ibid, ep. XXVII. §. 8.
d) F. Hofmann. ibid.
e) R. de Hautesierck ibid. pag. 323.
f) F. Hofmann. ibid. &c.
Hippocrates, epidem. ſcribit quemdam herpete tentum, aquis calidis uſurpatis, hydrope periiſſe.
g) Kleinius, de morb. exitu & praeſag. pag. 258.
h) Morgagnus, ep. anat. variis locis.
i) Quesnay, *traité de la gangr.* Chap. I. pag. 353.

haec ſunt infelicia nimiae credulitatis aegrotantium: & medicaſtrorum ignorantiae conſectaria.

123. Sed ipſa corpora viru herpetico non retroacto contaminata cutaneis non ſemper apparent foedata ulceribus: etenim non raro evenit, ut fixae corporis penetralibus mali radices ad cauſae ſingularis appulſum emoveantur; nunc obfirmentur; modo pullulent; ac internis affectibus herpeticis ſua febre [72] ſtipatis ſeu chronicis, ſeu acutis locum annuant. Et ex hoc fonte quot ſcaturiunt gravedines, raucedines, catarrhi, tuſſes ferinae, phthiſes, aſthmata, peripnevmoniae, pleuritides nothae, vomitus, ſpaſmodici affectus, viſcerum abdominalium tumores, ſuppurationes *a*), febres lentae, rhevmatiſmi, arthritides, &c. quorum genium varius cauſarum confluxus, aegrotantium idioſyncraſia,

a) Melancholicis affectibus a pubertate ad quadrageſimum annum, obnoxium vindicabat a morbo eruptio herpetis ſquamoſi totam cutem, caput imprimis deturpantis. Cura peragitur ope ſublimati corroſivi: verum aeger & negotiis & moerore agitatus, importunas aegre ferens medicaminum farragines, morbum negligit hyeme rigida exaſperandum. Sponte ſanata cute gravis accedit dolor in hypochondrio dextro. Incuſatur ſublimatum. Dyſenteria & nauſeis aflicitur aeger de ſublimato querelas cum Medicis & aſſidentibus movens. Lac & caetera ejuſmodi, quae ſal obtunderent, affatim ingeruntur... applicatur veſicans affecto lateri. Remittit dolor. Tum vix ſeroſus, vix ſangnine tinctus alvi fluxus, &c. Interea dolores ad artus & pedes accedunt. Arte ſiccatur ulcus in latere dextro excitatum, ut nova in affectis artubus efficiantur. Protinus recrudeſcit dolor hypochondrii, redit dyſenteria. Novae de ſublimato querelae. Eadem remedia. Seroſus antea alvi fluxus evadit purulentus. Inter lipothymias & febrem hecticam perit aeger, cujus deprehendimus ſana abdominis viſcera praeter jecur pure ferme penitus arroſum.

ſia, vel inexpectata herpetis eruptio non ſemel revelarunt de affectione herpetica nequidem ſomniantibus.

CAPUT III.

De ſede, cauſis, diagnoſi, & prognoſi variarum herpetis ſpecierum.

SECTIO I.

De Herpetis ſede.

124. Herpeticarum affectionum ſedem alii reponunt in membrana cutis pinguedinoſa *a*): alii in glandulis ſudoriferis *b*) ſeu miliariis; alii in glandulis ſebaceis *c*); alii tandem in *corpore reticuloſo d*).

125. Verum pro variis herpetum ſpeciebus, varia primario vulnerantur cutis organa. In herpete furfuraceo (§. 52.) cute intacta parum contaminari videtur *reticulum* (§. 10.) ſola ferme laeſa exteriori cuticulae (§. 8.) lamina. In herpete ſquamoſo (§. 56.) tota roditur epidermis, illaeſa vel parum vulnerata cutis ſuperficie. In herpete diſcreto (§. 67), miliari (§. 75), exedente (§. 83.) vitiatur cuticula cum ſuperficie cutis, quae ſolito rubicundior apparet (§. 12.). In herpete cruſtaceo (§. 72), therminthο (§. 99), favis, achoribus (§. 106), humida ſcabie (§. 109), impetigine (§. 110) &c. glandulae cutaneae (§. 19, 20.); in phlyctenis (§. 113) vaſcula quibus cum cute nectitur epi-

a) F. Hoffmann. med. rat. ſyſt. ibid. §. IX.
b) Tract. path. de morb. cutan. Cap. XVI. pag. 271.
c) Morgagn. Ep. anat. Epiſt. V. art. 12. & ſeq.
d) Astruc, *Traité des tumeurs*, Tom. I. Liv. II. Chap. II. pag. 272.

epidermis (§. 6, 19) primario vulnerari videntur. Ipſa viſcera, ut monſtraverunt luſtrata hominum lue venerea extinctorum cadavera *a*), nonnunquam puſtulis & ulceribus obſidentur (§. 66).

SECTIO II.

De Herpetis cauſis.

126. Inter Medicos, qui primarias herpeticorum affectuum cauſas diſquirere ſtuduerunt; alii non ex herpeticae luis indole & viribus aeſtimatas, at animo potius effictas tradidere; ſic ut herpetis nulla alia eſſet cauſa praeter bilem *b*) aut pituitam bile remixtam *c*),

127. Alii ſoboleſcentia ex viru herpetico phaenomena ſcrupuloſe penſitarunt; fontes unde ſaliebat virus, rimati ſunt; & hujus indolem genuinam non ſolum ex elementis & elementorum quae ipſum conſtituerent, copia; ſed etiam ex phaenomenis ichore herpetico concitatis collegerunt.

128. Aſt praeciſe determinari nequit illa variorum elementorum, quae reperiuntur in herpetico viru, proportio. Altiſſimis etiam obvolvuntur tenebris ſtupenda variorum elementorum ſecum invicem affinitas, ac emergens ex affinitate connubium. Novimus equidem principia quae bilem; novimus quae urinam conſtituunt. Non valde diſſimilia praedictis ex humoribus (licet valde diverſis) (§. 2.) analyſi ſubjectis extricantur elementa.

129.

a) St. Blancard. oper. Med. Tom. II. inſtitut. Chirurg. Cap. LXVI. pag. 524.

b) G. Fallop. de ulcer. Cap. X. Fol. 11. Rodric a Vega, Forestus, &c.

c) Vigier, *Grande Chirurg. des herpes* Chap. II. pag. 515. Amat. Luſitanus, &c.

129. Verum quomodo ſecum invicem & quanam proportione nectuntur? quaſnam ſubeunt mutationes humor bilioſus, cutaneus &c. ut ex excrementis in ſtatu corporis ſano innocuis habeantur humores qui non ſcabioſam, non leproſam, ſed herpeticam affectionem efficiant? Qui herpetem furfuraceum, non eſtiomenum; qui miliarem, non exedentem; qui exedentem, non ſquamoſum concitent? Haec problemata ſolvenda poſteris veneranda reliquit Antiquitas; nec aetas noſtra doctiores avis tulit nepotes.

130. Cum igitur primaria nos lateant *a*) morborum elementa; herpeticae cujuslibet affectionis virus ab effectibus potiſſimum aeſtimandum venit... nulla porro datur herpetis ſpecies quae cum eroſione epidermidis, cutis, vel utriuſque non reperiatur. In furfuraceo roditur externa cuticulae lamina; in ſquamoſo epidermis & tubuli, quibus cum cute jungitur epidermis; in herpete miliari, diſcreto, phlyctenis tota cuticula; in eſtiomeno tota cutis & ſubjectae partes nonnunquam eroduntur.

131. Verum cauſtica illa ichoris herpetici virtus, licet non multum aliena ſit ab ea quae in veſicatoriis, diverſi generis cauſticis ac venenatis deprehenditur *b*), cuinam adſcribenda venit herpetici liquoris elemento? an ſalibus? an terrenis elementis?

132. Ejuſdem acrimonia & ſalſedo maxime ſenſibus obviae deprehenduntur. Si enim intra chartam collegeris ichorem herpeticum & ſenſim exſiccaveris; plurimae ſalitae (§. 31.) cryſtalli hinc & inde micantes apparebunt... ex herpetis retropulſione cita non raro

a) *Mem. de l'Acad. de Chirurgie.* Tom. I. Chap. I. pag. 12. & ſuiv.

b) Isaac Cattierus, Hiſt. & obſerv. rarior. med. phyſ. cent. II. obſ. 43. pag. 142.

ro comparatur gangraena, in qua ferum adeo acre deprehenditur, ut cum illud alias guftaverit VALSALVA „non modo fummam acredinem perceperit; verum etiam haec linguae papillas per folidum quafi diem mordicaverit *a*).

133. In variis herpetibus pruritus eft levior vel acerbior, pro varia fede herpetis (§. 125); ubi pauciores vel numerofiores habentur nervi (§. 14); vel prout ichor herpeticus partibus oleofis (§. 19, 20), mucofisve magis minufve alteratis plus minusve impeditur. Nullus aut levis eft in herpete furfuraceo in quo intactis aut parum laefis papillis nerveis, ferme fola roditur exterior epidermidis lamina: major in herpete miliari, difcreto, in quibus inflammata deprehenditur cutis fuperficies, & non nihil vulnerantur ultimae cutis nervulorum propagines; gravior in exedente, in quo tenuior, acrior, fervidior eft ichor: obtufior in eftiomeno, qui altius expatiatur: acerbus in herpete fquamofo, praeprimis humido, in quo nullo ferme muco irretiti fales microcofmici; aft rancidis oleis & infenfili perfpiratione larga irrorati per excretorios cutis tubulos indefinenter aut faepius eructantur.

134. Infenfibilis perfpiratio, potiffimum fudor (§. 30.) particulas falitas, glutinofas, oleofas, terrenas per cutis fpiracula fecum indefinenter averrunt. Haec excrementa, fi congeruntur in cutem, hujus organorum nutritionem interturbant: mora, aut evecto loci calore rancefcit adeps cutaneus *b*); foetidus magis evadit (§. 62, 106); teterrimumque herpetico liquori odorem communicat.

135. Serofa colluvies tenuior diffipatur; craffior fluctuat in tela cellulofa; aut funditur intra cutem & epi-

a) V. MORGAGN. ep. anat. LV. §. 23.
b) V. HALLER, comment. in inftit. med. Boerhav.

epidermidem. Adipe rancido, particulis terrenis, ſalibus imprimis & glutine perſpirationis inſenſilis feta majorem protracta mora concipit acritatem; pungit nerveas fibrillas; rodit organa cutis; epidermidem a cute dimovet; ulcerat.

136. Quo diutius illuvies herpetica remoratur in cute; quo uberius in eam congeritur; quo minus apta redditur ad exhalandum; quo magis obſtipantur exhalantia vaſa: hoc magis elangueſcit ſanguinis in affectam cutem motus; minor evadit perſpiratio cutanea; major fit recrementorum in cutem affluxus; majorem ſpiſſitudinem aut acrimoniam contrahunt fluida: ſolidorum enim infirmatis viribus, fluida ſpiſſari aut liquefieri neceſſum eſt *a*).

137. In herpete furfuraceo humores cutanei, potiſſimum adeps, lentiores ſunt ac ſpiſſiores quam ut epidermidis unctioni ſufficiant; ſiccatur epidermis; in furfures reſolvitur (§. 7). Herpes furfuraceus frequentius accidit in ſiccis, ſanguineis & calido temperamento praeditis; ac iis potiſſimum in cutis regionibus in quibus haec parcius perſpirat & epidermis eſt tenuiſſima (§. 6).

138. In herpete ſquamoſo eadem ferme deprehenduntur phoenomena cum ſiccus eſt, ſi majorem humorum acrimoniam addideris. In ſquamoſo humido tenuius eſt ſerum, acrius, ſalibus magis refertum, oleo & glutine minus impeditum. Ichor funditur intra cutem & cuticulam; hanc ab illa ſejungit, ac in laminas velut aquae ferventis ope (§. 7.) reſolvit; tangit nudas nervorum papillas; acriter vellicat; uberrimum ab inſenſili perſpiratione pabulum indeſinenter aut ſaepius accipit, & per vulneratam cutis partem imprimis eructa-

a) Cl. Lorry, *trait. des alimens*, Tom. II. pag. 54, & ſuiv.

ctatur; nunc intra cutem & *reticulum* funditur in maculae vicinias, novasque cum intolerabili pruritu strages edit: frequentius autem occurrit in perinaeo, sub axillis, &c. in quibus major est calor; copiosius exsudatur serum: & visceribus obstructa cacochymicaque corpora prae caeteris impetit.

139. In herpete miliari, priusquam exurgant pustulae, cutis inflammata videtur & rubicundior, quam in alio quolibet herpete; minus tamen rubet; minus dolet; minus calet; minus prurit, quam in *exedente*. Ichor igitur in herpete miliari spissior est, minus acris quam in *squamoso*, benignior quam in *exedente*. .. Iis potissimum familiaris est herpes miliaris, quibus cutis a nativitate ita constituitur, ut minus perspiret; & humores cutanei crassiores sunt ac lentiores, quales in mulieribus, praecipue pituitosis.

140. In herpete discreto, exedente, major observatur humorum acrimonia; validior eorumdem in cutem commotio; major inflammatio cutanea; major in cute calor; intensior rubor; major in affecta parte fervor, imprimis in exedente, in quo deprehenduntur acerbior pruritus, molestior sensus erosionis, velocior cutis exulceratio, cita nonnunquam in gangraenam mutatio. In biliosis temperametis, cachecticis, pituitosisve corporibus, post notabilem inter exercitia corporis, aut liquorum spirituosorum abusum, humorum commotionem frequentius observantur ejusmodi herpetes.

141. In herpete crustaceo, in omni estiomeno lympha cutis, oleum, gluten, spissitudinem & acrimoniam contraxerunt; succis lentis turgent glandulae cutaneae. Alias ichor herpeticus ex cellulis telae cellulosae migrat in cellulas; ulcus indesinenter expatiatur, nunc in latum, ubi tenior est ichor; nunc in partes subje-

 ctas,

ctas, ubi magis oleosus, crassior, lentior est, unaque *vitae vis* infirmior. *Crustaceo* & estiomenis imprimis tentantur ii, quibus cutis adipe & sero valde turget, quales sunt pinguedinosi & cacochymici *a*).

142. Herpeticus ichor vitae viribus indomabilis est: imo inter artis auxilia vix alterationem patitur. In quolibet enim herpete legitima natura vel arte nusquam cieri potest suppuratio *b*). Verum nisi rescindantur ejus radices, constanter viget morbi seminium. Nunc *tacite vires acquirit eundo* contracta labes; nunc protinus evolvitur & sua variis in regionibus infligit vulnera. Varii autem sunt ichoris herpetici fontes.

143. Herpes haereditaria labe comparatur, cum ex parentibus vel nutricibus herpetico viru tinctis sobolescunt aut alimoniam sugunt pueri, quorum corporis rudimenta morbi germine hac via conspurcantur. Dum evolvuntur organa, major evadit humorum motus; ad corporis ambitum adaucta vi cordis uberius mittuntur; luis germina sensim explicantur; in cutem corrivantur; perpetuumque liquoris herpetici stillicidium excitant *). Foetus sydedatus ac veluti tabo putrefactus abortu rejectus est, dum herpetis evanescentis ac sensim in graviditate discussi humor fuit ad partes uterinas translatus *c*). . . . Variis in proavi lue venerea infecti stirpibus herpes squamosus siccus in facie potissimum ac naribus erumpit circa pubertatem, ut in duabus familiis caeteroqui numerosis hic datur observare. . . . Sana videbatur mulier quae foetum lue venerea infectum crustosis ulceri-

a) Liber cui titulus, *Liv. des observ. chirurg.* Observat. VII. pag. 37., Tulpius, obs. med. monita med. 42. pag. 384.

b) BARCHUSEN, collect. med. gener. pag. 349.

*) Haereditaria lues ad adolescentiam non raro illucescit: ST. BLANCARD. inst. chirurg. Cap. XLVI. p. 525.

c) BALLONIUS, cons. med. Lib. II. cons. XXVIII. p. 245.

ribus ſcatentem edidit *a*)... Qui puer a parentibus morbum puſtuloſum contraxerat, lue venerea non unam nutricem infecit *b*).

144. Cum exiliora ſunt fibrarum ſtamina, vis faſciculorum muſcularium debilior eſt; elangueſcunt vaſorum actiones; minor eſt fluidorum motus; minor tritus & elaboratio; minus rite defecantur viſcera; recrementis infarciuntur potiſſimum jecur & lien [§. 32, 33]: illa ſenſim cutem appellunt, & ulcus excitant. Hoc, inſtar fonticuli, ſenſim eliminatur humor, qui majores in infarctis viſceribus excitaviſſet ſtrages, niſi viam aliam elegiſſet.... Zona perſequitur pallidiores & cachectico corporis habitu praeditos [§. 92]. *c*.... Scorbuticis, hypochondriacis, cachecticis familiaria ſunt cutis vitia *d*).... „Quibus, inquit Hippocrates, „magnus eſt lien, ſi quidem bilioſi ſunt; foedati multum apparent, ac ulceribus obſiti...“ Secto cadavere hominis herpetici, lien inſignis magnitudinis, valde inflatus, turgidus & liquamine atro ſanguineo repletus apparuit *e*)... Senectam, in qua ſenſim perimitur actio mutua fluidorum in ſolida, ſcorbutum alterum non immerito diceres *f*), ulceribus autem cutaneis in inferis potiſſimum artubus aetas ſenilis eſt obnoxia. In pueris humores ad ſuperiora magis ra-

 ptum

a) Blancard, ibid.
b) A. Luſitanus Curat. Med. Cent. I. Cur. XLIX. pag. 81. 82.
c) Th. Bonnet, oper. chir. Tom. II. de affectib. extern, Sect. IV. Liv. VI.
d) Hoffmann. ibid. vol. III. Cap. V. §. XX... Ad diagnoſ. obſtructionum hepatis valde conferunt maculae & cutaneae efflorefcentiae. Ballonius conſil. med. Lib. II. hiſt. I. pag. 55.
e) Hoffmann. ibid. obſ. VIII. pag. 442.
f) Walschmitdius, inſt. med. Lib. IV. Cap. VI. pag. 112.

ptum efficiunt: in adultis medium corpus affectibus pruriginosis frequentius exaratur.

145. Inter corporis exercitia valide contrahuntur alternis vicibus, & relaxantur musculi. His impliciti liquores fortius adacti uberius exprimuntur; copiosius fluunt ad cor sanguis, ad cutem lympha; frequentius & altius inspiratur & exspiratur aër: dum sic adaugetur sanguinis impetus, jecur musculis abdominalibus & diaphragmate valide comprimitur; major exprimitur bilis [§. 33.] quantitas; calor alioquin intenditur; spissantur fluida; remorantur in emunctoriis; majorem inibi concipiunt acrimoniam; eliquantur; fibras vellicant; in motum ducta mittuntur ad cutem; variae pustulae, erysipelata cum febribus emergunt *a*); *commotis* enim, ut cum Hippocrate *b*) loquitur Theophrastus, *impuris corporibus fiunt ulcera.*

146. Cum inerti torpet otio corpus, recrementis impletur tela cellulosa; turget adipe; comprimuntur vasorum rubrorum radices; motus solidorum impediuntur; liquida stagnant; magis ac magis alterantur; cachecticum, scorbuticum evadit corpus: nascuntur ulcera *c*)... ex Judaeis, qui sedentarias ac statarias artes exercent, omnes ferme vadunt in melancholiam, praecipue cachexiam; ita ut etiam inter ditiores pauci sint, qui pruriginoso aliquo affectu non laborent *d*).

147. In somno diutius protracto minuitur admodum liquidorum circuitus; recrementa copiosius in telam cellulosam congeruntur; pars tenuior exhalatur: re-

a) Tozzi, de recto *non natural.* usu, pag. 240.

b) Exoriuntur ulcera, si quis dum impurgatus est, laboraverit. Hippocrat. Epid. VI. V. 50.

c) Swietenius, Comment. in Boerh. Aph. 1151. Tom. III. pag. 609.

d) B. Ramazzini, de morb. artif. diatrib. Cap. XXXII. pag. 603.

remanet craſſior & ad acrimoniam concipiendam magis idonea ... parciori facta per noctem inſenſili perſpiratione, plus puris effluit ex ulceribus cutaneis *a*).

148. In vigiliis diutius protractis major adeſt humorum agitatio; ſero ſuo ſenſim ſpoliatur ſanguis: majorem contrahit ſpiſſitudinem & acrimoniam lympha ... pruritus, ſcabies, herpetes immodicis vigiliis non raro ſuccedunt ... ſanguis autem ſcabioſorum & ulceribus cutaneis laborantium fere ſemper concretus apparuit *b*), & in coagulum adeo denſum firmatus *c*); ut ſale penetrari nequeat; efferbuerit cum aceto, & plumbum uſtum ſupernataverit *d*).

149. Aëre frigidiori vel humido vel utroque ſtringitur obturaturve cutis; ſpiſſantur cutanei liquores; in cute morantur; vix vel non perſpiratur *e*); & niſi una excretio gerat vices inſenſilis perſpirationis, humores excrementitii ſenſim in corpora coacervabuntur, morâ liquabuntur, morbiſque cutaneis originem dabunt ....
„praegreſſa aeſtate humida & frigida, ſiccioris tempe-
„riei homines pruriginoſa ſerpiginoſa ſcabie labora-
„runt" *f*) ... autumno & vere humidis, aut ſe prodit, aut recrudeſcit, aut redit herpes *g*).. Omnium autem puſtularum genera frequentius autumnali & vernali tempore proveniunt *h*).

a) De Haller, elem. phyſiol. Tom. V. Lib. XII. Sect. II. §. XVI. pag. 75.

b) Morgagn. ep. anat. LIII. §. 7. 8. & ſeq.

c) Hoffmann. ibid. §. XIX. pag. 429.

d) Calmet, ibid. Tom. I. *diſſert. ſur la lepre*, p. 566.

e) De Haller, ibid. §. 19. pag. 83.

f) F. Hoffmann. ibid. Obſ. VII. pag. 441.

g) F. Hoffmann. ibid.

h) Schenkius, obſ. med. Lib. V. pag. 699.

150. Aeſtate ſpiſſantur humores; acrimoniam concipiunt *a*), & qua proportione accedit autumnus, eadem frigore conſtipatis cutis emunctoriis, excrementa congeruntur in cutem, & hanc eo citius exedunt, quod ichor herpeticus aeſtivis caloribus aduſtus longe ſit acrior: *morbi enim,* inquit BALLONIUS, *autumnales magis fiunt ob qualitatem...* „Sub autumni finem, „ac deinceps per totam hyemem ſequentis anni, Nea- „poli cruſtoſum eryſipelas (herpes exedens) vagatum „eſt; quod cunctos facie peculiariter affecit, cum fe- „bre acuta, pervigilio, delirio, narium haemorragia „aliisque pravis ſymptomatis; e quo pauci admodum „evaſere *b*).“

151. Eadem praeſtare videtur aeris calidioris in frigidiorem mutatio, vel alterna caloris & frigoris viciſſitudo... Obſervatum enim eſt plures, qui ex Gallia & regionibus trans Rhenum ſitis, aliiſque locis vitiferis aere ſubtiliori donatis ad athmoſphaeram rigidiorem ſe converterunt, ulceribus cutaneis fuiſſe tentatos *c*).

152. Hyemali frigore ſana firmantur corpora; cacochymica vero recrementis frequentius obruuntur *d*), & licet HIPPOCRATES merito dixerit *e*) *vernam tempeſtatem omnium ſaluberrimam;* attamen cum vernales ad auras intumeſcunt ductus cutanei, major ſit ad corporis ambitum, humorum hyemali tempore congeſtorum proventus. Ideo, non in ſanis, at in cachochy- mi-

a) Oris ulcerationes aeſtate fiunt. HIPPOCRAT. aph. Sect. III. aph. XXI

b) TOZZI, in Aph. HIPPOCRAT. Sect. VII. Aph. XX. pag. 171.

c) HOFFMANNUS ibid. pag. 427.

d) Hyeme frequenter obſervantur achores, N. PISO, de cogn. & curand. morb. Tom. I. Lib. I. Cap. V. pag. 21.

e) HIPPOCRATES, Aph. Sect. III. Aph. IX.

micis corporibus, vere prodeunt impetigines, vitiligines, pustulae ulcerosae & tubercula *a*) plurima.

153. Calidior aër cutem efficit rariorem; sit major excrementorum in eamdem affluxus; fluida turgent, rarescunt, eliquantur; elongantur solida; vires hebescunt; fluidorum stagnationis, dissolutionis & acrimoniae effectus ubique corporis persentiuntur ... In Hollandia morbi cutanei saepe deprehenduntur Austrorum sequaces *b*)... In Asia ubi fervet aestus, & mala victus ratio; cancri frequenter occurrunt *c*)... Austrinam tempestatem, *quae seri mali parens est*, sequuntur pustulae, prurigines *d*), &c.

154. Tristitia, moerore, poenitentia quassatus homo percipit in regione gastrica quamdam veluti constrictionem & pondus; respiratio laeditur; cordi gravius incumbit onus; languet circulatio; & motus recrementorum suspenduntur *e*); aliunde subvertuntur digestiones; male peragitur ultima succorum alibilium concoctio; horum colluvies jam remoratis in corporis habitu recrementis addit alas; acrimonia magis ac magis contracta, cutis exeditur... Animi pathemata languidiora scorbuto, cardialgiis, melancholicis tumoribus, cancris [§. 98.] fores pandunt *f*).

D 4 155.

a) Hippocrates, ibid. Aph. XX.

b) Zimmermann, *Traité de l'exper. en Med.* Tom. II. pag. 323. & suiv.

c) P. Alpinus, de Medicina Aegypt. Lib. I. Cap. XIII. pag. 23.

d) Ballonius, consil. medic. Lib. II. Consf. XLII. pag. 287.

e) In tristitia & moerore gravius evadit corpus. De Haller, elem. physiolog. Tom. V. Lib. XII. Sect. II. §. 14. pag. 71.

f) Walschmitdius, inst. med. Tom. I. Cap. X. pag. 44.

155. Majorem solidis tonum impertiuntur validiores animi commotiones; aestuat in vasis sanguis *a*); moventur in cacochymicis recrementa & cutem appellunt... Ab animi vehementiore succussione homo labitur in notabilem corporis inertiam, artuum tremores, &c. pallet cutis; morantur ad corporis ambitum recrementa, & occasione data prurigines inducunt.

156. Neque solum externam, sed etiam internam [§. 23.] perspirationem laedunt validiores aut languidae mentis commotiones. Dum enim convellitur alimentaria [§. 154.] fistula, & angunt cordis palpitationes, non solum elanguescit sanguinis motus in abdominalia viscera; sed non raro sic *spastice stringuntur intestina*, ut bilis, quae secum universa ferme viscerum abdominalium recrementa trahit [§. 32.], aditus in duodenum praecludatur, recurrat in hepar, in quo mora protracta liquatur, acrimoniam concipit, variosque subeundo telae cellulosae [§. 36] tramites, tandem cutem appellit & herpetem excitat.

157. Qui spirituosis abutuntur, iis paulatim subvertuntur digestiones; inspissantur sanguis & alibiles succi; nec raro recrementis infarciuntur viscera; sensim augetur obstructio; recrementorum reliquiae mittuntur ad cutem, & herpetem nonnunquam excitant.. Spirituosis abutentium visa cadavera prae se ferunt scirrhos jecoris *b*); nec raro his adjunguntur ulcera tum interna tum externa... Sordidis crurum ulceribus obnoxii sunt bibaces, edaces, scabiosis, herpeticis contaminati pustulis salicarii *c*).

158. Acria medicamina *d*); cibi saliti, peracres, aromatici; piperata; saliti pisces; carnes fumo indura-

a) Eller, ibid. Sect. I. pag. 16. & seq.
b) Cl. Lorry, *Traité des alimens*, Tom. II. p. 203.
c) Ramazzinus, ibid. Cap. XXVIII.
d) Hoffmann. ibid. §. V. pag. 435.

ratae &c. ejusmodi, quae humorum acrimoniam concitare valent *a*), pruriginosis affectibus ansam non raro suppeditant.

159. Cibi farinacei, pingues; alimentorum crassioris, ac durioris substantiae farragines aegre digeruntur: sanguinem vitiant; viscerum infarctus accersent: sensim in praecordiis comparatur excrementorum colluvies, quae data qualibet occasione in cutem irrumpit & herpetem excitat.

160. Maxima tamen consuetudinis in victu ratio habenda est: *consueta enim, a multo tempore, etiamsi deteriora fuerint, minus turbare solent b*): Hinc evenit, ut farinaceis assueti validisque laboribus una dediti rustici non ideo pustulas cutis contrahant. Ex adverso cita cibi dulcis & pinguis in acriorem (quemadmodum subita quaelibet in sex rerum non naturalium usu) mutatio morbos cutaneos excitare valeat... Nempe dum una cum climate mutatur victus ratio; piperatis & caeteris ejusmodi abutuntur, qui alioqui calidiorem athmosphaeram experiuntur recens advenientes in Indiam, sudamina saepius experiuntur adeo infesta, ut pustulis ungue apertis ulcuscula cacoethica saepe oriantur ut maligna, sic sanatu difficilia *c*).

161. Cum excernenda variis in organis retinentur; suboriuntur affectus pro morbificae materiei sede, indole, & vitae viribus diversi. Interim, ut nobilia serventur viscera, Natura saepe permittit aut ipsa procurat, ut morborum impetus ad aliquam partium ignobilium feratur... hac via tum acuti tum chronici soluti non raro visi sunt *d*).

a) Eller, ibid. Sect. I. pag. 13. Cleyerus, &c.
b) Hippocrates, Aph. Sect. II. Aph. 50.
c) Bontius, de Med. Indorum, Cap. XVIII. pag. 33.
d) Hoffmann, ibid. §. 17. pag. 428. & §. 18. obs. I. pag. 438.

162. Recrementa his in circumſtantiis febriles inter motus in corporis ambitum ejici non rarum eſt... „Certis anni temporibus ſub imagine ſerpiginis milia-„ris vel alia papularum rubellarum facie quandoque „prodeunt herpetes, ex quibus non raro ſerum acre „ſub epidermide hinc & inde elevatum eructatur; qui „ſi temerario medicamentis retroagantur, valde peri-„culoſos excitant affectus *a*). Ab his non multum „alienas obſervationes tradidit *b*)" . *Cl. de Hauteſierck.*

163. Declinantibus variolis aut febribus continuis, morbi reliquias in ſummum corpus nonnunquam ablegat Natura; & virus ſub imagine impetiginis furfuraceae, virulentorum & mali moris ulcerum potiſſimum in facie & lumbis obortorum ex praecordiis extricat, quorum humor ubi remeat ad praecordia cito ſphacelum affert & gangraenam, ni tempeſtive remediis perverſa retundatur ejus indoles *c*).

164. Colluvies catarrhoſa quae coctionem eludit, in cutem quandoque corrivatur, & herpetem miliarem diſcretumve proritat. Hyeme nupera vigebat in urbe noſtra catarrhus, in quo materies peracris arduum plurimis aegrotantibus & medico faceſſebat negotium: in pueris, frequentius in adultis humor in faciem circa nares & labia irrumpens herpeti diſcreto dabat originem... herpetem, quo laborabat puella, praecurrebant multae catarrhoſae fluxiones & ingens odontalgia *d*).

165.

a) Eller, de cog. & cur. morb. acut. Sect. VI. p. 157.

b) *Obſervations de Medecine*, Tom. II. pag. 312.

c) R. Morton, de variolar. declinatione, Cap. X. pag. 129. Obſ. Chirurg. obſ. XXI. pag. 46.

d) Th. Bonnet, Oper. Chirurg. Tom. II. Lib. VI. Sect. IV. de tum. p. n. Obſ. XVIII. pituita humoribus

165. Rheumatica colluvies *vi vitae* nonnunquam ducitur ad cutem; hac via musculis aut visceribus impactus humor extricatus & ad corporis ambitum ablegatus herpetem excitat, evanescentibus principis morbi symptomatibus . . . . „novimus, inquit HOFFMANNUS *a*), immanes artuum dolores oborta psora „vel scabie leprae albae naturam habente, penitus sub- „latos . . . artuum dolores ulceribus sponte obortis in „pedibus conquievisse, qui, postquam arte consolidata „fuerunt, mox resuscitati sunt, pluries annotavimus."

166. Cum humor arthriticus in artus detonat, non raro tumet aut inflammatur pars affecta. Pars humoris arthritici per poros cutaneos tenuior exhalatur; altera copiosis urinis sponte vel arte prodeuntibus feliciter eructatur; aut cutem vulnerat, variasque ciet efflorescentias, quarum eruptione multum levaminis accipiunt aegrotantes *b*) . . . nonnunquam etiam herpetem excitat humoris arthritici visceribus impacti metastasis in cutem.

167. Cum adest acrium humorum in viscus aliquod afluxus, Natura morbi fomitem aliquoties ducit in organum ignobilius . . . ulcera exedentia in pedibus & manibus apparentia phthisim in mercatore Londinensi averterunt . . . tuberculum tibia media insidens puerum a morbo, quo, tuberculo evanescenti, deinceps extinctus est, tres menses vindicavit *c*).

168.

bus acribus permixta, quocunque proruperit, maxime in non consuetos locos, eos ulcerat. HIPPOCRATES, de flat. §. XVI.

a) HOFFMANN. med. rat. syst. vol. II. de doloribus & spasmis, &c. Sect. II. Cap. VIII. pag. 32. & Vol. III. Cap. V. Obs. I. pag. 437.

b) Idem ibid.

c) SWIETENIUS, comment. in Aph. 1198. Tom. IV. pag. 17.

168. Comate ſomnolento afficiebatur puella quae miliarem herpetem in brachio poſtea paſſa eſt q) ... hic vivit aeger qui per aliquot annos importuna tuſſi fatigatus, tandem herpetem ſquamoſum in axilla ſiniſtra fuit expertus: tuſſis interea ſiluit, quae herpete nunc evaneſcente redit, nunc reſurgente recedit.

169. Mulier caeteroqui ſana, priusquam in femoribus erumperent impetigines [§. 110], atrociſſima premebatur colica, quae prout obſervavimus, toties redibat, quoties ſponte evaneſcerent impetigines ... vomitus aderat, dum herpes in ventriculo ſederet b).

170. Sudaminibus obnoxia ſaepe videtur ſenilis aetas. Humore uberrimos inter ſudores cum intolerabili quem notavimus, pruritu ex viſceribus extricato, priſtina redit ſanitas.

171. Cum recrementa jecoris aliorumve viſcerum abdominalium remorantur in praecordiis, ſaepe ſe produnt haemorrhoides. Humorum illuvies non raro cutem appellit & herpetem, prae caeteris zonam [§. 89.] excitat. ... Alias ſuppreſſis haemorrhoidibus humor cerebrum impetit ac feram inducit apoplexiam aliosve cerebri affectus [§. 120.].

172. Nonnunquam etiam variarum, quae fiunt per uterum, evacuationum vicarius obſervatur herpes... Hic fruitur optima ſanitate virgo, quae nusquam menſtrua niſi per cutem paſſa eſt. Certis temporibus variis in cutis regionibus, potiſſimum in una vel altera clune ſe prodit miliaris herpes; ulceratur tu-

a) Th. Bonnet, oper. chirurg. Tom. II. Lib. VI. Sect. IV. obſervat. XVIII.

b) De Haller, elem. phyſiol. Tom. VI. Lib. IX. Sect. IV. pag. 196.

tumor; ſanguis aliquot dies ordinaria copia fluit ex ulcere, quod ſponte clauditur ad ſanguinis receſſum. Non valde abſimiles in ſcriptis medicorum obſervationes reperio.

173. Cum a diuturno tempore ſilent menſtrua, omnes omnino corporis actiones elanguescunt, corpus recrementis obruitur: cacochymicum evadit; variisque morbis afficitur, niſi recrementis modo quolibet exitus concilietur. Qui tunc erumpit herpes, aegros a gravibus aerumnis non raro vindicat ... in muliere, cui menſtrua defecerant, inſultus apparent hyſterici cum violentis cordis palpitationibus. Ab herpetis furfuracei circum aurem eruptione ſalus *a*).

174. Impraegnationis et graviditatis ordinaria ſymptomata ſunt pica, malacia, & puſtulae menſium ſuppreſſorum comites *b*) ... lochia & fluor albus ad herpetis exedentis, potiſſimum miliaris adventum ſaepius evaneſcunt ... in febre puerperarum lactea humor in cutem quandoque mittitur & herpeticam affectionem humoris colore facile dignoſcendam generat *c*).

175. Cum natura vel arte, citius, quam par eſt, occluduntur ulcera, quibus natura defecabat corpora; retroacta ſanies aliam legit viam; majorem nonnunquam offendit circa corporis penetralia reſiſtentiam; minorem vero verſus ambitum; in cutem ſibi pandit iter ac herpetem non raro ſuſcitat ... occaſionem herpeti miliari quandoque dedit ulcus narium *d*) ... Zona quidam periit ex ulcere cruris, quod intempeſtive conſoli-

a) *Memoire de l' Acad. de Chir.* Tom. I. Chap. I. p. 14.
b) Ballonius, conſil. med. Lib. II. conſ. 42. p. 287.
c) Puzzos, *Traité ſur les Accouchemens, mem. ſur les depots laiteux,* pag. 346.
d) Vigier, *grande Chirurg.* Chap. XII. pag. 357.

ſolidaverat chirurgus *a*) . . . Leviſſimo narium ulceri perſanato ſuccedebat herpes miliaris in brachio erumpens *b*) . . . tibia pulvere tormentario comburitur; frigidis applicatis inflammatio cruris aliaque graviora ſymptomata ſuboriuntur; herpete totum crus exeditur *c*) . . . poſt retropulſam in milite ſcabiem, herpes exedens effloruerat in toto corpore *d*)

176. Antequam herpetes erumpant in his circumſtantiis, febris ut ſaepius excitatur, qua vigente humor in ignobiliora rejicitur organa . . . febre continua laboravit aeger, in quo devicta ſcabie ulcera maligna ſerpentia in toto corpore viſa ſunt *e*).

177. Non tamen in omnibus aegris adeo felices obſervantur artis vel naturae conatus . . . . . arte ſiccatis tibiarum ulceribus, icterum, dyſenteriam & mortem paſſus eſt adultus *f*) . . . miris omnium corporis partium convulſionibus veluti ſtrangulatum occumbere vidimus puerum, cujus herpes palpebra ſiniſtra inſidens fuerat retroactus.

178. In ſcorbuticis affectibus humorum illuvies ex corporis penetralibus nonnunquam ejicitur ad ambitum. Inde prodeunt pruriginoſae cutis affectiones quarum eruptione morbi cura longe facilius obtinetur *g*) . . . quae de ſcorbuto hic tradimus, ea de cachochymia ſunt eodem modo accipienda.

179.

a) LANGIUS, Ep. med. XXXII. pag. 497.

b) BONNET, chirurg. Tom. II. Lib. VI. Sect. IV. obſ. XVIII.

c) HILDANUS, obſ. chir. Obſ. XCIX. pag. 124.

d) R. de HAUTESIERCK, *Obſ. de Med.* Tom. II. obſ. VII. pag. 318.

e) P. POTERIUS, Cent. II. Cap. I. pag. 23.

f) A. LUSITANUS, curat. med. cent. I. curat. LXXXIII. pag. 112.

g) GLISSONIUS, de Rachitide. Cap. XXIII. n. 27. p. 301.

179. Cum virus ſcrophuloſum artis vel naturae opera ſubactum in cutem emovetur, varii pro humorum acrimonia, tenuitate vel ſpiſſitudine herpetes nonnunquam efflorefcunt, adaucta vel minuta ſtruma, prout parcius aut uberius ex ulcerata cute manat ſcrophuloſa lues *a*). Alias virus herpeticum ſcrophuloſi naturam induit [§. 98.] & herpeti ſtrumae ſuccedunt.

180. Inter varias herpetis ſpecies nulla frequentior obſervatur herpete ſquamoſo potiſſimum in pudendis inſidente. Huic imprimis occaſionem dat virus venereum *b*).... Viri quos novimus, quatuor cum infecta muliere eadem nocte concubuere. Singuli herpetem ſquamoſum contraxerunt... lue venerea & herpete ſquamoſo tentatus cum muliere ſana concumbit; alter poſteridie cum eadem coit, & herpete ſquamoſo in eadem cutis regione ſito donatur.

181. Media ferme pars hominum confirmata lue venerea tinctorum herpete conſpurcatur, qui ſub humili ruſticorum caſa, ubi deliteſcit virtus, longe rarius occurrit... Adeo frequens luis venereae ſymptoma reputatur herpes, prae carteris ſquamoſus; ut, in ancipiti caſu, latitans virus venereum *c*) ſaepius incuſetur illo praeſente.

182. Quadruplici ſub reſpectu conſiderari poteſt virus venereum; vel quatenus inflammationum author, ut

a) CL. de BORDEU, *Diſſert. ſur l'uſage des eaux de Baréges, & du mercure dans les écrouelles*, p. 61.

b) F. JOEL, oper. Chir. de tum. cutis in ſpecie; p. 182. POTERIUS, Cent. II. Cap. LXV. L. BOTALLUS de lue venerea, p. 451. MANARDUS, Cent. II. lib. VII. Ep. med. II. p. 52.

c) *Medecine Theologique*, Tom. II. part. III. pag. 312.

ut in gonorrhaea, urinae fervore, bubonibus, &c. vel quatenus parum laesis solidis fluida magis impetit, ac proinde mariscas, thymos, verrucas, fungos, exostoses inducit; vel corrosivum, quo excitantur ulcera phagedaenica, narium mutilationes, herpetes; vel tanquam pustulosum *a*).

183. In lue venerea corrosiva potissimum ac pustulosa habentur exempla naturae syphiliticum virus extra corporis cancellos ejicere satagentis.

184. Ea tamen saepius est luis venereae energia, ut non raro maximam humoribus inferat visciditatem. „Plures enim, inquit MASSA *b*), mortuos in hospi„talibus secui, qui viventes morbo gallico laborabant, „in quibus venae per universum corpus erant plenae „materia pituitosa alba, quae pituita longe in quantita„te superabat sanguinem, & loca etiam dolorosa made„bant eadem materia pituitosa, imo in aliquibus om„nes lacerti madebant ista jam dicta materia."

185. Benignioris indolis venereum virus hodie facilius cutem appellit, & ad exhalandum per cutis spiracula videtur aptius *c*). Ideo cum nostris temporibus evidenter a sua malignitate deflexerit; rarior occurrit lepra qualis olim observabatur *d*).

186, Fatemur interea non omnem lepram a viru venereo scaturire qui aliorum observationibus *e*) edocti

a) MANGET, Bibl. Chir. Tom. IV. Lib. XV. Cap. V. de syphilide, pag. 88 & seq.

b) Epist. med. Tom. I. Epist. XXX.

c) R. de HAUTESIERCK, Obs. de med. Tom. II. Chap. V. pag. 310.

d) CALMET, *Dissert. sur la lèpre*, Tom. I. *& dissert. sur la malad. de Job*, à p. 274. ad 285.

e) Ab usu aquae putrefactae, & salitorum cacochymia, scorbutus, Elephantiasis. P. ALPINUS de med. Aegypt. Lib. I. p. 26. &c.

An-

cti novimus aeris calidiorem temperiem; pravam victus putridi, saliti, piperati, paludosi &c. rationem scorbuto, leprae, & elephantiacis foeditatibus ansam non raro suppeditasse.

187. Neque solus herpes squamosus lue venerea tinctos adoritur. Virgo enim, quam vidimus, venereum ulcus in sinistra nare patiebatur; quo evanescenti gravis accedit cephalalgia cum febre, comate somnolento. Revirescit sanitas ad herpetis miliaris eruptionem in brachio sinistro .... Syphilide fuerat affectus sutor calceonarius qui postea zonam expertus est *a)* .... herpete farinaceo in scroto & facie hic tentatur lue venerea infectus .... Elephantiasis ei minabatur, qui ter luem hispanicam contraxerat .... quibus male curata lues, ii saepe redduntur elephantiaci, impetiginosi *b)*.

188. Contagio traducitur ichor herpeticus, cum indesinenter avolans ex ulcere herpetico fumus *c)* hali-

Annonae penuriam sequebantur ulcera cutanea. GALENUS de probis, pravisque aliment. succis, Cap. I. Charter, Tom. VI. pag. 416. 417.

Plebeii, Mendici, Pauperes vivunt obnoxii sordidis dorsi, brachiorum, femorum, surarum &c. ulceribus. F. HOFFMANN. med. rat. systemat. Vol. III. Cap. X. §. IX. pag. 427.

In Insula Java frequens est elephantiasis, ubi prava datur victus ratio, loci calor adurit & venerea lues est inquilina. BONNET, Chirurg, Tom. II. Lib. VI. Sect. V. I. XV. Ab austrina tempestate & diluvio quod circa Pelagii tempora erupit, luem veneream & quodlibet pustularum malignarum genus repetit Leonicenus, de morb. gallic. fol. 125.

a) MANGET, Bibli. Chirurg. Tom. IV. Lib. XVI.

b) BALLON. Consil. med. Lib. I. Cap. LXI. pag. 349.

c) EZECH. à Castro. ign. lamb. pag. 60.

lituosus in sani cutem via qualibet intromittitur. . . . . „Hinc affecti loci contrectatione ab alio; ablutione in „eadem aqua in qua lotae sunt partes impetiginosae & „serpiginosae; abstersione manuum & faciei cum lin- „teolo in quo abstersae sunt partes serpiginosae *a*); & „chirothecae manibus inductae ab impetiginosis antea „usurpatae" . . . . novacularum viru tinctarum usu; . . . . concubitu & deosculatione *b*) herpes traduci potest prae caeteris humidus *c*).

189. Cum in cute stagnat humorum illuvies; ex animalculorum ovis in illam depositis & loci calore incubatis prodeunt vermes, qui hinc & inde reptantes, acriter latibula sua compungentes molestum excitant pruritum . . . . in scabie potissimum *d*) ac herpete miliari *e*) nonnunquam apparuerunt. An a sanguineis vasis ad cutem dilapsi sunt? . . . Aliquoties in sanguine visi sunt *f*). . . Estiomenum procul dubio concitassent vermes exigui in pustula lentis magnitudinem vix superante latitantes, nisi causticis aperto tumore subduxisset eos Poterius *g*). . . Non tamen causam omnis morbi, etiam cutanei, cum Cl. Desault, vermem bene diceres.

190. Longe frequentius herpetis eruptioni favent ea, quae cutem siccant, stringunt, obstipant, aut qualibet

a) Joel, praxeos Lib. X. Sect. III. pag. 546. Virgil. Georgic. Lib. III. versus finem.

b) Tractat. patholog. de morb. cutan. Cap. XVI. p. 273.

c) Astruc. *Traité des Tumeurs*, Tom. II. Liv. II. Chap. II. pag. 279.

d) Morgagn. Ep. An. Epist. V. §. 6. & seq.

e) Tozzi; in Hippocr. aph. Sect. VI. Aph. IX. p. 168.

f) Isaac Cattierus, Hist. & observ. med. phys. Cent. III. Obs. IV. pag. 198.

g) P. Poterius, Cent. I. Cap. XLVII. pag. 43.

libet via ſic afficiunt, ut acrium ſuccorum variorumque recrementorum ex cute continuo manantium oſtia praecludantur *a*), ac exitus illis omnino denegetur; videlicet cutis, aere ſicco, ſole vel igne ſiccatio; aqua fervida ambuſtio; frigore conſtrictio *b*; compreſſio, ligaturae *c*) diſtentio, ictus, frictio, abraſio *d*, immundities, veſtimentorum ſordes, &c.

191. Herpeticus ichor variis de cauſis retroagi poteſt. Cum infirmantur cordis vires; quae minimis in canalibus hujus actione ferme ſola peragebatur; elangueſcit humorum circulatio; recrementa lentius & parcius varia cola & cutaneos porulos appellunt; telam celluloſam infarciunt; ex hac in viſcus, in quo minorem offendunt reſiſtentiam, dilabuntur; atque pro variis in quibus decumbunt organis pro majori vel minori ſua acrimonia; varios, periculoſos admodum ac ſaepe lethales excitant affectus.

192. Haec phoenomena in aetate ſenili rugis diſtincta; potiſſimum inveteratis herpetibus; vel fractis viribus aegrotantium ſaepius obſervantur. . . Senes occluſis ſponte ulceribus cito pereunt. . . . In mammis mulieris inſidens herpes ſponte ſiccabatur & evaneſcebat. Cito mulier acuta plevro-peripneumonia corripitur & fruſtra tentatis quibuslibet remediis moritur *e*). Similes nec in praxi medica raras obſervationes omittere liceat.

193. Omnia porro quae cordis & vaſorum rubrorum vires infirmant; motum humorum & recremen-

E 2 to-

a) F. Platerus, de ſuperf. corp. dol. pag. 776.

b) Hildanus, obſ. chir. Cent. I. Obſ. 99. pag. 74.

c) Trincavellius, conſ. med. Lib. III. conſil. CXVII. fol. 685.

d) Astruc. *Tr. des tumeurs*, ibid. pag. 276. 277.

e) R. de Hautesierck, ibid. pag. 323.

torum evacuationem intercipiunt; aut modo quolibet ita retardant, ut in corporis penetralia retroagatur virus herpeticum, inter caufas repercuffionis herpetum jure numerantur.

194. Ad eas revocantur languidiora mentis pathemata; vita defes; fomnus diutius protractus, quam pati poteft aegrorum aetas aut conftitutio corporis, aër fpiffus, frigidus, nebulofus; potus aquofi, frigidi, largiores; alimenta frigida, aquofa farinacea, caeteraque ejufmodi, quae fanguinem fpiffum craffioraque recrementa praeftare valeant, aut molem humorum, infirmatis una folidorum viribus, adaugeant.

195. Cum adfunt caufae delineatae [§. 194]; ubi medicamentis frigidis, oleofis, ftipticis, caufticis &c. obteguntur ulcera herpetica; vel idoneae curationi variarum herpetis fpecierum cautelae neglectae funt: tum praepeditur ichoris effluvium: hic varios fubit telae cellulofae tramites; & in caput, thoracem aut abdominalia vifcera, potiffimum in organum, unde manaverat, refluit.

196. Quot & quantas non experti funt ftrages; quam gravibus aerumnis intempeftivo topicorum ufu comparatis non mulctati funt, qui medicorum feverum, dum herpetis cura tentabatur, vitae regimen imperantium confilia fpernentes, circulatorum, agyrtharum & caeterorum ejus farinae medicantium opem funt mutuati! . . . Sifcitanti dicent fepulchra quibus victimae vix numerabiles jacent aeternis obvolvendae tenebris.

SECTIO

SECTIO III.

De herpetis diagnosi.

197. Diversas cutis pustulas & ulcera decurrenti & cum herpeticis maculis comparanti luculenta sese primo intuitu offerunt mutuae omnium secum invicem affinitatis argumenta.

Pleraeque cutis affectiones iisdem, quas variis herpetibus assignavimus, causis possunt excitari; eadem ferme symptomata, nec dissimilem curationis methodum saepe requirunt: imo metastasibus aeque periculosis occasionem quandoque suppeditant.

198. Varias ejusmodi cutis aegritudines inter se peculiari tantummodo humorum alteratione, & exinde surgentibus phoenomenis a se invicem discrepare diceres.

199. Varii tamen dantur characteres, quorum ope herpes ab herpete, vel alio cutis affectu dignoscatur. Priorem diagnosim quod attinet, pauca herpetis historiae subjungemus, ut pote quod illa haud operose deduci possit ex variarum herpetis specierum [§. 52, 56, 67, 72, 75, 83, 93, &c.] imaginibus, sede [§. 125], causis [§. 128.], &c. secum invicem collatis.

200. Posteriorem adimplebit breviter instituta comparatio morborum cutaneorum cum herpeticis maculis vel ulceribus, quales sunt vitiligines, intertrigo, lactumina, lupus, cancer, &c. magis consimilium.

201. Lactumina cum herpete squamoso sicco [§. 61.] aliquam licet habeant affinitatem; attamen, cum benigna sunt, squamas latiores vel crustas absque pruritu saltem notabili dimittunt; nec raro capillorum eruptionis prodromi videntur *a*).

 202.

a) Brouzet, *Educat. medecinal. des enfans*, Tom. II. Chap. II. pag. 93.

202. Herpes ſquamoſus humidus videtur cum intertrigine puerorum adeo affinis, ut rubicunda cutis in intertrigine non roro *a*) excorietur, ichorem effundat, quandoque alte ulceretur [§. 145]; licet mortificatione ſaepe terminetur intertrigo *b*).

203. Etſi herpes furfuraceus, ſquamoſus, eryſipelas, & herpes exedens ſecum invicem quadantenus conveniant, in multis tamen valde differunt. Haec autem cutaneorum affectuum analogia cutis ſuperficiei & epidermidis eroſione potiſſimum ſtabilita, erroribus nonnullis occaſionem dedit, quos ipſa HIPPOCRATIS, vel ejus Interpretum lectio potuiſſet redundere.

204. Triplex habetur eryſipelatis ſpecies: 1ª. ſubſequitur variarum corporis partium ulcera *c*), in ea ſanguis ad margines ulceris remoratus, eliquatus in cutis ſuperficiem effunditur; & ſtaſi ſua quandoque gangraenam advocat.

205. Roſa nuncupatur altera; quae abſque ulcere *quamdam excidat* deflagrationem & ardorem levem. Cutis, haud ſecus ac in quorumdam pulmonicorum facie, roſeis perfuſa videtur coloribus. Initio febrium acutarum, quae craſi humorum ſcorbutica ſtipantur, ſaepius erumpit *d*); & rubello tincta colore quandoque videtur tota cutis; prout bis vidimus in febribus peſtilentialibus. In ſcorbuticorum facie nonnunquam obſervatur; praecipue cum ſpirituoſos liquores uberius hauſerunt; vel ira nimium percelluntur. Alias in peculiarem faciei locum effunditur ſanguis; ut ſcorbu-

a) Tract. pathol. de morb. cutan. Tom. I. Cap. XXIV. pag. 193.

b) ETMULLER, oper. med. Tom. II. colleg. pract. de morb. infantum, Cap. VI. pag. 1082.

c) TAGAULT. inſt. chir. Lib. I. Cap. VIII. pag. 96.

d) KLEINIUS de morb. exit. & praeſ. pag. 78.

buticis & ſanguineis temperamentis (gallice vocant *couperoſés*) evenit. Macula haec, quam roſam nuncupant, ſanguine rubello velut irrigata videtur; paucisque modo nullis dimiſſis furfuribus, perſpiratione & ſanguinis fluxu redintegratis evaneſcit.

206. Tertia rigorem habet & febrem cum cutis rubore *qui preſſione ſubterfugit;* raro admodum *circumſcribitur*; moleſtum cutis ardorem infert; epidermidem ulcerat: in furfures reſolvit; adeoque paucos intra dies excutitur & *eryſipelatis ulcerati* nomen retinuit.

207. Cum haec eryſipelatis ſpecies deteriorem ſe praebet, aut negligitur, aut infrigidantibus tractatur; ſolet emittere puſtulas miliariis [§. 82.] paulo majores, alias aliis minores, acri ſero refertas; modo fixas, modo ſerpentes; tumque alienam ab eryſipelacea ſibi vindicat indolem.

208. Cum enim, inquit Kleinius *b*), eryſipelas male tractatur, aut negligitur; vadit in ſuppurationem peſſimam. . . Ulcera exedentia, mali moris ac inſanabilia naſcuntur; & tum proprie dicitur ignis ſacer [§. 83].

209. Hic ulceratorum eryſipelatum exitus ab Hippocrate deſignatus fuerat. *Ab eryſipelate*, inquit, *putredo aut ſuppuratio*, *malum c*), *Suppurationis* autem nomine Hippocrates hic non intelligit ichoris eryſipelacei in pus converſionem; verum ichoris in eryſipelas congeſtionem, & ex ejusdem congeſtione, humoris ulcerationem: ac voce *putredinis*, humoris mutationem in gangraenam; non enim proprium eſt eryſipelatis ſuppurari vel putreſcere *d*). Malignum igitur

 ery-

a) Horstius, refer. Hercule, locorum communium, Lib. V. Cap. IV. pag. 312.
b) Kleinius, ibid.
c) Hippocrates, aph. Sect. VII. Aph. XIX.
d) Cardanus in hunc aph. pag. 768.

eryſipelas, aut neglectum, aut male curatum, quod veſicatur, nihil aliud eſt quam herpes exedens *a*). *Veſicatum igitur, dein ulceratum eryſipelas, ejusdem eſt generis cum herpete b); nuſquam enim eryſipelas ulceratum viſum eſt c*).

210. Ab herpete eryſipelatibus ſuccedaneo [§. 83], veſicis imprimis [§. 120.] non longe recedit ignis perſicus. In hoc tamen ardor & pruritus moleſtiores obſervantur; *& cutis velociter, ni ſuccuratur, impletur aqua ſubtili adeo acri*, ut eam pro veneno habuerit BRUNNS. His adde quod locus igne perſico veſicatus, ſaepe lividus, niger aut plumbeus evadat; unde prunae, carbonisve (febrium peſtilentialium prodromi vel comitis) nomen comparavit.

211. Cum cruſtaceo & eſtiomenis cruſta obductis quadantenus convenire diceres *lupum*; verum ſuo cutis loco manet lupus, nec ſerpit, licet quadraginta annos in primum obſeſſa parte nonnunquam viſus fuerit *d*), non ſanioſus, nec dolore, nec pruritu &c. ſtipatus.

212. Neque magis eſtiomenum [§. 98.] pro cancro accipies, ubi noveris hunc ex ſcirrhis, tumoribus ſubcutaneis, vel glandulis conglomeratis ortum ducere; labra ſprae ſe ferre praedura ſimul & inverſa; dolore lancinante ſtipari; febre & atrophia corpus abſumere; vapores adeo tetros ulceratum expirare, ut etiam a longe ſtantes moleſte ferant; &c.

213.

a) GALENUS, therapeut Lib. XIV. Cap. II. P. FORESTUS, obſ. chir. Lib. II. Obſ. I. pag. 35.

b) MONTANUS, comment. in 2. GALENI Lib. art. curat. ad GLAUCON pag. 1229 & ſeq.

c) CAMANES, comment. in eundem GALENI Lib. p. 56.

d) GORDONIUS, de curat. gangraenae & herpeſtiomeni ſeu lupi, Rubr. IV. pag. 72., Guid. de CAULIACO, PARACELSUS. &c.

213. Herpes ſquamoſus, praecipue ſiccus & ſine ſquamis [§. 60.] adeo cum vitiliginibus eſt affinis, ut RIOLANUS eas ad *morbos levitatis* revocaverit; alii, quos inter ASTRUCCIUS *a*), pro herpetibus acceperint, licet inter utrumque affectum intercedat multum diſcriminis brevi vitiliginis deſcriptione detegendi.

214. Vitiligo eſt macula cutis nonnihil extenſa, ſubaſpera, non rubra, non inflammata, nullis exarata puſtulis, nullo ſtipata pruritu; verum continua & ad carnes uſque nonnunquam extenſa. Acu puncta macula nec dolorem exhibet, nec ſanguinem dimittit *b*). Cum albicat, *leuce* dicitur & in hac apparent veluti ſquamae cutaneae, ut Aetius ait, ſeu guttae, ut CELSI verbis utar, quae ſquamas aemulantur. *Alphus* a CELSO nuncupatur: ab aliis *Albaras*, *Alguaſen*, *Vernicata;* aut *Morphaea nigra* ſeu *melas*, ubi niger eſt maculae color & eadem in cute videntur phoenomena.

215. Ab hac vitiligine parum differt leuce, *morphaea alba*, quae nihil aliud eſt, quam cutanea macula abſque tumore, rubore, pruritu, ulceratione vel aſperitate. Leuce ſummam tantum cutem infeſtat non continua, non cohaerens, aſt diſperſa variis locis cutaneis. Leuce alia, quemadmodum alphus, alba deprehenditur; alia nigricans *ſeu umbrae* ſimilis, *vel hepatis colorem referens*. Utraque non raro diſtinguitur lue venerea vel ſcorbuto laborantium cutis, & ut plurimum, nullis advocatis medicaminibus, intra quatuor aut quinque dies evaneſcit.

216. Signa variarum herpetis ſpecierum anamneſtica potiſſimum eruuntur ex cognitione functionum lae-

a) *Traité des tumeurs*, Tom. I. Liv. II. Chap. II. pag. 270.

b) Vide Mercurialem de morb. cutan. Lib. II. Cap. II. pag. 54.

laesarum, aegri temperiei, & causarum, quae pruriginosis affectibus occasionem dederunt, quas in Capitis II. Sectione II. delineavimus.

217. An a lue scrophulosa oriatur herpes, arguitur quod in juvenibus humorum in aures oculosve defluxione tentatis glandulae potissimum in collo intumuerint; si caeterae pariter infarctae fuerint glandulae, si strumis evanescentibus herpetes succedant, &c.

218. An a viru venereo vel scorbutica labe sobolescant herpetes, non ita facile determinari potest. Virus enim venereum aliquoties ita traducitur ut, parum vel non laesis genitalibus, ad singulas corporis partes aeque distribuatur; & scorbuticis maxime similia proritet symptomata; licet signis peculiaribus apud plurimos aegrotantes non raro manifestetur *a*).

219. Verum justam de lue venerea movet suspicionem herpes, imprimis squamosus & in eorum genitalibus ortus, quos ad scorbutum non ducunt intemperantia vitae vel constitutio corporis; qui impuro concubitu labis venereae vestigia potuerunt contrahere; & solitis medicaminibus haud obsequiosos experiuntur artuum dolores.

220. Qui herpetes rheumatismi, cachexiae; scorbuti, phthisis, colicae convulsivae, asthmatis &c. soboles existunt [§. 142]; variarum, quibus aegri sunt aut fuerunt obnoxii, affectionum indolem sequi solent, atque ex accurata aegrotantis vitae historia & praesenti corporis conditione haud aegre deducuntur.

221. An vero dantur signa pathognomonica morborum ex retropulso herpete scaturientium [§. 115, 116, 117, 118, 119, 120, 121, 122.]? Febris equidem

a) Rondeletius de morb. italico pag. 840. Baglivius, &c.

dem nulla gravi vel manifesta causa praegressa, videtur violenta: insolita dolorum & symptomatum absque causa sensibili ferocitas justam quidem movere possunt suspicionem de retropulsione luis alicujus in organum in quod morbi totus detonat impetus. Ast dubium exinde natum tutius excutitur, cum aeger aut adstantes dissipatum fuisse via qualibet herpetem confitentur.

SECTIO IV.

De Herpetum prognosi.

222. Ulcera, inquit HIPPOCRATES *a*) „qui nosse „volet, qualem quaeque exitum habitura „sint: is imprimis quidem hominum naturas animad„vertere; quaenam ad ulcera melius; quaenam etiam „deterius affectae sunt; deinde aetates in quibus sua „cujusque generis ulcera non facile profligantur &c. „His si quidem omnibus cognitis, quaenam cujusque „eventa futura sint, facile assequetur. Corporis au„tem probandae sunt naturae leves, moderatae, fir„mis visceribus praeditae neque admodum carnosae, „neque durae. Tum quae colore sunt albo aut nigro „aut rubro. Hae enim probantur si purae sunt. De„terius est, si ex pallido mixtum colorem, aut palli„dum, aut lividum habeant. Quae vero naturae su„pra positis adversantur, eas deteriores esse constat."

223. Herpes generatim est morbus remediis parum obsequiosus *b*); majorem secum importat foeditatem, quam vitae periculum *c*) artis aut naturae viri-

a) HIPPOCRATES, Praed. Lib. II. Sectio XVII. XVIII. §. 60. &c. seq.

b) VIGIER, *grande Chirurgie des ulceres*, Chap. II. pag. 516.

c) HIPPOCRATES, praed. Lib. II Sect. XXI. §. 16.

ribus admodum aegre submoveri potest; & eo tempore saepe recurrit, quo curatus reputatur *a*).

224. Cum herpes naturae vel artis opera vincitur, sanus ac incolumis factus homo nullas nec ex virus in viscera retropulsione dein patitur aegritudines; nullam experitur morbi cutanei recidivam.

225. Rarius autem observatur adeo benignus macularum herpeticarum exitus *b*) Hinc maxime suspecta videri debet parta modo quolibet herpeticae luis excussio, donec appareant manifesta confirmatae sanitatis argumenta.

226. Herpes in cutem vel *ut morbus erumpit, vel ut abscessus; vel ut quid tertium c*) .... *ut morbus*, cum in debili corpore pravi cumulantur humores, qui versus ambitum ejus commoti sensim inibi radicantur: variasque pustulas & ulcera deinceps excitant.

227, Idiopathicus igitur erit herpes, qui paulatim emergit; qui temporis lapsu capit incrementum: & qui, ut HIPPOCRATIS verbis utar, *longo tempore ad ultimum incrementi sui gradum pervenit.*

228. Cum corporis penetralia recrementis infarciuntur, quae suis emunctoriis educi nequeunt; humor tela cellulosa visceribus insita impactus partim in viscus aliquod congeritur; partim cutem sensim appellit; & per hanc indesinenter effluit, quoniam obstructo viscere non alia magis expedita, per quam exhalari possit, humori patet via. Qui autem ex interna labe viscerumque morbis oriuntur herpetes, difficilius, nec nisi

a) ASTRUC, *Traité des tumeurs*, Tom. I. Lib. II. Cap. II. pag. 281.

b) R. de HAUTESIERCK. ibid. Tom. II. pag. 311.

c) BALLONIUS, epid. & ephem. Lib. I. pag. 65. 66.

nisi] sublata viscerum corruptela tolluntur; facile enim renovantur, ac repullulant *a*).

229. Verum aegri sui status inscii, ubi medelae tempus opportunum daretur, vix aut non medicorum opem implorant; vel data consilia spernunt subdola sanitate conquiescentes; adolescit morbus, cujus fontes exhauriri natura vel arte jam nequeunt. Hinc evenit quod tumores, obstructionesve viscerum, licet in principiis artem minime superare videantur; attamen *sive id ex aegri negligentia aut inattentione Medici, sive ex aegrotantis indocilitate fiat, raro curentur b*).

230. Quo recentior igitur erit herpes, quo minus inveterata sunt viscerum vitia; quo meabiliora vasa; quo parcior ac benignior visceribus impacta moles recrementorum; hoc minus pertinaces erunt herpetes.

231. Hinc facilius ac tutius eradicatur herpes recens, quam vetustus; in pueris, quam in senibus; in sanis, quam in obstructis, cacochymicisve corporibus ex variis enim herpetum speciebus, eae sunt pertinaciores, quae secum important alicujus visceris laesionem *c*); & ulcera quae a causa interna, scorbuto, cachexia suboriuntur, sunt difficillima *d*).

232. Herpes *ut abscessus* reputatur cum febriles inter motus [§. 161] recrementorum illuvies in cutem tota rejicitur. *Cum enim*, inquit HIPPOCRATES, *impetigines, leprae albicantes, vitiligines subito multumque contingunt, certe abscessus dici possunt e*).

233.

a) F. HOFFMANN. med. rat. syst. Vol. III. Cap. V. §. XXIV. pag. 430.

b) CAROL. PISO, de morb. a serosa colluvie, Cap. III. pag. 349.

c) HOFFMANN. ibid.

d) KLEINIUS de morb. exitu & praesagiis, pag. 311.

e) HIPPOCRATES, praedict. Lib. II. Sect. XLIX. §. 187.

233. Vere criticus reputatur herpes, cum ab hujus eruptione protinus evanescit omnium quibus febris stipabatur, symptomatum series: hoc namque modo facta sanguinis & succorum alibilium despumatione; revirescit sanitas; & excrementa sunt sanorum similia, sic *ut corpora tunc tuto possimus alere a*).

134. Cum humoris excrementitii moles non omnis in cutem transmittitur; ab herpetis eruptione mirescunt equidem symptomata & febres; ast non penitus evanescunt. Morbosam tunc non immerito diceres corporis constitutionem; nec enim omnes omnino corporis actiones velut in sanitate peraguntur, nec excrementa sanorum similia videntur. Pars equidem ichoris herpetici refunditur in cutem; altera vero remoratur in visceribus; & herpes ut *abscessus & morbus* tum reputatur.

235. Cum vero major adest recrementorum copia; ubi majori stipantur acrimonia scoriae morbosae; febriles motus in aegrotantis perniciem non raro vertuntur; ab herpetis eruptione exacerbantur symptomata; & critice prorupti herpetes maligni, saepe perniciosi deprehenduntur.

236. Interea pro variis ex quibus emersit fontibus, magis minusve benignus, sanabilis aut insanabilis reputatur herpes. Hinc benignus est ac facile sanabilis qui contrectatione corporis herpetico viru tincti; vel causa [§. 189] externa fuit excitatus; aut erupit in perfecta crisi [§. 272]; *malum* enim solummodo *cutaceum existimatur b*)

237. Alio sub respectu consideratur herpes, qui modo quolibet excitatus [§. 275] longo tempore sibi relictus fuisset. Aliquid enim ichoris herpetici continuo

a) HIPPOCRATES, Aph. Sect. II. Aph. 15.
b) BALLONIUS in HIPPOCRAT. epid. Lib. I. pag. 73.

tinuo divertitur ex cute versus corporis penetralia a): ideo qui semel adolevit ac inveteratus est herpes, licet solummodo cutaneus primum apparuerit, idiopathici [§. 256] curatione non multum alienam sibi vindicat.

238. Herpes venereus nunc *ut abscessus*, nunc *ut morbus*, nunc *ut quid tertium* erumpere potest. An dantur signa quorum ope determinari possit ejusdem indoles? Fida nondum suppeditavit observatio: ideo prudens Medicus, dum nihil certi pronunciare audet; curam internam non omittit, antequam ad externam deveniat b)

239. *Ut abscessus* tamen reputari potest, cum ab ejus eruptione dolores ac symptomata evanescunt, nec, nisi minuatur ichoris per cutem excretio, resurgunt; ac caeteroquin illibata omni ex parte videtur sanitas.

240. *Ut morbus* judicatur, cum ab ejus eruptione nedum minuantur imo exasperantnr symptomata; floridus cutis color emarcescit; elanguescunt functiones; mutatur excrementorum indoles; & aliquid de vita die qualibet evidenter deteritur.

241. *Ut morbus & abscessus erumpit* herpes venereus, cum hoc imminuitur, totus nihilominus non averritur morbi fomes. *Impetigines enim & herpetes squamosi a phthisi, variisque viscerum morbis non raro vindicant, aut funestos horum affectuum effectus potenter coercent.*

242. Eo pertinacior & malignior aestimatur herpes venereus, quo major fuit suscepti virus copia; quo morbus vetustior; quo graviores visceribus intulit strages; quo debilior est corporis constitutio; quo pluribus causis evectum fuit virus: quo lues venerea magis in eodem corpore neglecta fuit & sibi relicta.

243.

a) R. de HAUTESIERCK, Tom. II. Chap. V. p. 309.
b) F. HOFFMANN. ibid. & alii.

243. Cum herpes haereditaria labe comparatur, malignior aestimatur, si deterioris indolis [§. 143.] morbus in patre vel matre visus fuerit; si una & pater & mater venerea lue conspurcentur; si nutricis labe simili infectae lac pueri jam contaminati morbum ingeminaverit, aut ipse puer pravo vitae regimine caducam sibi comparaverit viscerum constitutionem, *qualis enim juventus, talis ferme* (caeteris paribus) *senectus.*

244. Quo latior est herpetica macula scrophulis laborantium; quo uberius in hanc effunditur ichor; hoc benigniores evadunt scrophulae; hoc facilius dissipantur. Hinc licet non impetu critico mittatur ad cutem humor glandulis impactus; diurna tamen ejusmodi vacuatione sensim minuitur scrophularum fomes, & quod ars cauteriorum, &c. ope, id in scrophulis herpetis eruptione hic praestat Natura.

245. Longe aliter sentiendum est de herpetico humore qui scrophulosi naturam induit [§. 98]; humorum enim acrimoniae tunc maximus additur lentor; sic ut plures nodulos subcutaneos [§. 141] exhibeant induratae herpetis margines. *Malum* enim est, inquit SCHMITZIUS *a*), *herpetem in cancrum degenerare;* „vel „ex cute in corporis penetralia radices agere; pertina„ciores enim sunt affectus cutanei, si in partibus muscu„losis & pinguedinosis dorsi, brachiorum &c. parvi „noduli ad modum glandularum, exterius invisibiles, „interius palpabiles, instar cicerum vel fabarum ob„servantur, luculento indicio quod non tam glandulae „cutis induratae, sed quod humor stagnet in cellulis „pinguedinosis *b*).“

246. In arthritide paroxysmus non discutitur, nisi per insensilis perspirationis, urinae, &c. vias humor sub-

a) Compendium Medicinae pract. pag. 193.
b) F. HOFFMANN. Vol. III. Cap. V. §. XXIV. p. 430.

ſubducatur; ſecus nodos & tophos excitat, vel in viſcera confluit. His in circumſtantiis erumpat herpes; ab injuriis arthritico humore inferendis immunes evadunt aegri.

247. Neque minus iis proficit herpes, in quibus ob viſcerum infirmitatem, perpetuum arthritidi ſuppeditatur pabulum: ulceribus enim ejusmodi corpus expurgatur; & infirmi, praecipue ſenes, in quibus admodum periculoſi ſunt inſultus arthritici, neque facile diſcutitur arthritis, vitam longe minus moleſtam diutius trahunt.

248. In rheumaticis doloribus, praecipue vagis; cum per varios telae celluloſae tramites meant ac remeant humores, & ſunt craſſiores, quam ut cutaneis ductibus eructari valeant; illi non raro cutem arrodunt & herpetem excitant, quo jugiter ſtillante cruciatus ſenſim levantur & cum rheumatiſmo evaneſcunt.

248. In ſcorbuto cum humorum colluvies, in cutem corrivatur, non parum ab herpetis eruptione minuuntur infarctus; expediuntur corporis penetralia & relevantur aegri [§. 117]: ulcera enim, potiſſimum in extremis ſcorbuto laborantium artubus oborta nil aliud eſſe videntur, quam totidem fonticuli, quibus, qui digeri, aut modo ſolito vacuari nequeunt, humores feliciter eliminantur; cum, imminuto ſaniei per ulcera praedicta effluxu, aut exſiccatis ulceribus, in maximum vitae diſcrimen aegri conjiciantur *a*). Idem ſentiendum de prurigine vel ulceribus, quibus eſt obnoxia ſenectus.

250. Imminente phthiſi nullum citius ac tutius experiuntur aegri ſolatium, quam ubi colluvies humorum, quae ſaliebat in teneros pulmones, ad corporis ex-

a) Swietenius, comment. in Boerhav. Aph. 1151.

extrema refunditur. Fortunatos merito dicimus eos, quos ab imminente phthisi, aliisve gravissimis aegritudinibus herpes inde natus ita vindicat.

251. Longe aliter judicandum de ulceribus illis ac innumeris pustulis, quibus declinante morbo non raro deturpatur phthisicorum cutis. Cum enim sputa minuuntur, aut cohibentur, illuvies purulenta nunc fluit in abdominalia viscera; nunc suppressa diarrhaea cutem appellit, quam variis contaminat pustulis & ulceribus herpeticis. Verum tales Naturae conatus, licet salutares omnino denegandi non sint, tardius apparent & saepe sunt mortis prodromi. *Quibus* enim *salsa sputa cum tussi subsistunt, iis corpus velut efflorescentibus pustulis rubescit, ante obitum vero exasperatur* a).

252. Catarrhosis defluxionibus originem non raro praebet perspirationis in capite, faucibus vel thorace suppressio. Materies indigesta nonnunquam crassior est, quam ut per obstipata cutis spiracula possit eructari; variisque morbis praebet originem. Qui tunc erumpit herpes, aegrum ab affectu graviore liberat, & admodum salutaris existimatur. Levis enim inflammatio cutis [§. 67] cum ulcere fugaci, pectoris inflammatione aut ulcere longe levior merito reputatur b).

253. Neque minus salutares habentur herpetes versus febrium continuarum declinationem efflorescentes: manifesta namque Naturae triumphatricis argumenta, imminens ab imperfecta crisi periculum ac recidivas praecavent... „In truci pestilentia servati fuerunt illi, „quorum in manus aut pedes procumberent maligni hu„mores, qui exedebant & exulcerabant partes illas c).

254.

a) Hippocrates, coac. §. 243.
b) Observ. chirurg. Cent. IV. Obs. LXIV. pag. 184.
c) Sanctorius. method. vit. error. in art. med. Lib. XIII. Cap. VII. pag. 524.

254. Non eadem ſunt autumanda de herpeticis maculis, quae primaria febrium continuarum ſymptomata deprehenduntur. *Quandocumque enim*, inquit HOFFMANNUS a), *herpetem miliarem caput infeſtantem cum odontalgiis, cephalalgia & catarrhoſis defluxionibus variolae vel morbilli ſequuntur. Res non ſine periculo eſt . . . & interdum poſt mortem ſpatium in vertice morboſum denigratum & ſphacelatum fuiſſe novimus.*

255. Idem pertinaces erunt herpetes, quibus anſam dabunt viſcerum poſt varias febres & morbos imperfecta criſi judicatos, obſtructiones. . . Morbi enim cutanei „qui poſt febres intermittentes, variolas, morbil-„los," luem veneream ſoboleſcunt; interna praecipue „viſcerum vitia arguunt; nonniſi ſublata viſceris cor-„ruptela tolluntur; facile renovantur ac repullulant; „imo nonnunqnam in phthiſim aut hydropem degene-„rant b).

256. Aſthmata, praecipue convulſiva, colicae & morbi ſpasmodici nusquam tutius ac felicius judicantur, quam larga turbidarum urinarum illuvie, quae ante paroxysmos a lympha rupea non abſimilis eſſe ſolent. Cum recrementa cutem appellunt, innumerae ſaepe prodeunt puſtulae; herpetica ſequuntur ulcera, quorum jugi ſtillicidio ſpaſmodici motus evanescunt, ſanata cute redituri.

257. Benignior autem exiſtimatur herpes, ortus inter affectiones ſpasmodicas, quibus originem dederunt *vitia fluidorum pravo non naturalium uſu comparata.*

258. Malignior, pertinacior ex adverſo reputatur herpes, qui ex *idiopathicis nervorum affectibus oritur.* Cum enim exiliores ſunt ac debiliores fibrae nerveae,

F 2 quan-

a) F. HOFFMANN. Vol. III. Cap. V. §. XXVIII. p. 430.

b) Idem, ibid.

quantas in eodem corpore temporis momento valeunt concitare turbas inordinatae illae ſive fluidorum ſive ſolidorum commotiones, vix credibile. Partis exinde fluidorum vitiis non raro ſuccedit humoris in cutem felix inter Naturae conamina proventus *); & hac ratione, miliaribus puſtulis vel herpeticis ulceribus apparentibus expurgantur corpora. Verum eadem poſita corporis conditione, morbus ſecundarius (herpes aut ſudamina) non raro reſurgit, niſi princeps affectus, ex quo ſoboleſcit, fuerit edomitus.

259. Ex iis autem, qui herpetibus aliisque ſimilibus [§. 143.] tentantur cutis affectibus; magis periclitantur robuſti, ſanguinei, ſtrigoſi, difficile ſpirantes. Mollioris e contra texturae homines ac imbecilles morbum facilius ferunt; foeminae etiam prae maſculis maxime convalescunt *a*).

260. Cum ſanioſis humoribus aut recrementis in corporis penetralia congeſtis per varia cutis ulcera datur exitus, Natura vel arte ſiccato ulcere, retroactus humor graviſſimas ut ſaepius infert aegritudines.... Ex ulcere tibiarum occluſo; Aphonia, ſenſuum hebetudo, mors intra biduum *b*).... Ex repercuſſa ſcabie quidam venit in vitae periculum *c*). Minima ſeri portio, quae mortem ipſam afferre poteſt, maneat in cute aut ex viſceribus in hanc remeet; in utralibet hypotheſi maxime ſalutaris erit herpes inde natus.

261. Cum ſegnius moventur viſcerum imprimis abdominalium recrementa, pars major ſubit [§. 32.] venas abdominales; ſanguinis fluxus in jecur multum elan-

*) Serpigines ſeu puſtulae miliares his in circumſtantiis ſaepe prorumpunt interno regimine facile diſſipandae.

a) ALLIONIUS, de miliaribus, Cap. VII. pag. 60.

b) MORGAGN. Epiſt. Anat. IV. §. 7. 13.

c) JSAAC CATTIERUS, ibid. Cent. II. Obſ. XCII. pag. 184.

elanguescit; non raro ſe produnt haemorrhoides; & quamdiu his eructatur humorum colluvies, qua venae podicis diſtendebantur, tamdiu remanet illibata ſanitas. Verum occluſis haemorrhoidibus ichor non raro fluit in cerebrum, & lethalem inducit apoplexiam... Ex adverſo cutem appellat & exedat; nullum ex haemorrhoidis ſuppreſſione tunc aegros manet periculum; ſed qua proportione generantur in abdomine recrementa; eadem per cutem ſalutariter ablegantur.

262. Cum menſtrua per ſolitas vias fluere nequeunt, aut deſinunt; & plethora moleſta fatigatur corpus; ſanguis per nares, pulmones ventriculumve quandoque ſibi pandit iter, & aſſueto tempore menſtruorum ad inſtar eructatur. Ubi major adeſt humorum acrimonia, ſanguinis evacuationi nonnunquam ſuccedunt ulcera; & phthiſi mulieres abſumuntur. Huic periculo eae non ſunt obnoxiae, quibus humorum illuvies cum ſanguine funditur in cutem, & herpetem excitat... Si enim foeminae menſtrua remanent; aliquando ex ulcere quod habet, maxime femoris vel pedis ſalutariter emanat [§. 171] cruor mutato itinere *a*).

263. In gravidis varia ex viſcerum ſitus mutatione vel irritatione ſuboriuntur incommoda. Nunc digeſtio, nunc variorum humorum excretio, nunc utraque turbantur; nec raro herpes tunc ſalutariter erumpit, a partu (videlicet reſtituta ſolidorum & fluidorum ſecum invicem harmonia) evanidus.

264. Alias humor herpeticus ex cute labitur in uterum, pabulisque alendo foetui dicatis adjungitur; unde fit, ut diſcuſſo herpete prolis extinctioni ſuccedat matris incolumitas [§. 142]. Vidi matrem ſic vindicatam ab herpete, qui tres annos ante partum in brachio textro nunc apparebat, nunc evaneſcebat. Qui parentis

 luem

a) KLEINIUS, ibid. pag. 311.

luem contraxerat puer, diſſipato herpete ſquamoſo totam ferme cutem contaminante, intra annum mortuus eſt.

265. Fortunatae mulieres, quibus ex lochiorum vel lactis ſuppreſſione vel impedita excretione ſuboritur herpes; quas a gravioribus aegritudinibus ita liberat. Haud aliter ſentiendum de ulceribus, quae fluori albo ſuccedunt, & quibus morbi pertinaces & ipſa mors non raro praevertuntur.

266. Interea lactis, lochiorum & fluoris albi conditionem ſequitur herpetis indoles. Hinc mulieribus cacochymicis, &c. herpes inde natus non raro malignus deprehenditur; quandoque ſponte retroagitur; & mortem ipſam inferre poteſt. Vidimus pertinaciſſimos herpetes exedentes ex lochiorum ſuppreſſione natos. . Novimus lac in cutem ductum in cacochymica muliere, herpeti furfuraceo totam cutem occupanti originem dediſſe. Morbus lapſu temporis exaſperatus eſt; ſquamis hodie deturpatur cutis; rubent oculi; tument artus ſaccorum ad inſtar; primariaque pſorae ſcorbuticae [§. 53) jam apparent ſymptomata.

267. Magis minusve pertinax, magis minusve periculoſus aeſtimatur herpes pro varia indole humoris herpetici, varia ſtrage quam in cutem intulit ichor, &c.

268. Herpes furfuraceus cutis exſiccatione, uſtione [§. 189] nativa cutis ſiccitate [§. 137] ſuſcitatus in ſanis hominibus; omnium ulcerum, quae depaſcendo ſerpunt, minime periculoſus eſt *a*), vel ſponte recedit; vel ſola ſaliva curatur *b*).

269.

a) Lommius, ibid. pag. 268.
b) Celsus. Med. Lib. V. Cap. XXXVIII. §. 18.

269. Magis arduus eſt curationis labor *a*) cum granulis referta videtur cutis area [§. 53]; cum ſerpit; ubi cutem capillatam obſidet; tunc enim non raro *in herpetem ſquamoſum*, ipſamve tineam degenerat *b*).

270. Malignior vero eſt ac longe pertinacior, cum huic adjunguntur viſcerum infarctus *c*). His enim cito ſuccedunt hydropes, leprae vel affectus ſcorbutici.

271. Nonnunquam etiam acutis morbis locum cedit, prout obſervavimus... Herpes furfuraceus in adulti mento ſedebat, evaneſcebat, reſurgebat, donec aere mutato [§. 159], alioque victu inſtituto prorſus abigeretur. Interea continua largaque diarrhaea vires exhauriebantur; ichor in abdominalia viſcera ferme totus irrupit; & aeger febri malignae, qua ſex intra dies occubuit, perferendae prorſus impar factus eſt... mulier herpetem furfuraceum in facie ſedentem balneis excuſſerat, quae gangraena pedum poſtea periit *d*).

272. Herpes ſquamoſus, in ſanis corporibus ob impeditam frigore ſtipticiſve medicaminibus &c. perſpirationem in cutem erumpens, benignus eſt, facile ſanabilis, nec raro ſponte diſſipatur. Ideo haud operoſe curatur herpes *periſcelis*, ut ill. SAUVAGES verbis utar, Eccleſiaſticorum cingulo collari ſuſcitatus.

a) F. JOEL, oper. Med. Tom. V. Lib. II. Sect. II. pag. 151.

b) N. PISO, de cognoſc. & cur. morb. Tom. I. de porrigine.

c) VIGIER, *Grande Chirurg. des ulceres* Chap. II. pag. 516. ETMULLER, oper. med. Tom. II. Obſ. V. p. 525.

SAM. HAFENREFFERUS, &c.

d) QUESNAY, *Tr. de la gangrene*, pag. 353.

273. Longe pertinacior eſt herpes ſquamoſus in ſpongioſis, carnoſis & mollioribus locis cutaneis inſidens; potiſſimum ſi acerrimo ichore inundetur macula, prout ſub axillis, in capillata cute, &c. ſaepius evenit: (*ex locis enim,* inquit HIPPOCRATES *a*) *difficilius ſanantur alae* [§. 56.] *laterum cavitates & femora*); ſi velociter ſerpet; ſi ex lue venerea ſoboleſcat; tunc enim difficilius eradicatur; vel ſanatus facile revertitur; vel ſibi relictus in pertinaciſſimum eſtiomenum quandoque vertitur; vel in impetiginem remediis ferme quibuslibet obſurdeſcentem degenerat.

274. Herpes diſcretus, qui a cauſa externa [§. 180], potiſſimum cutis immunditie ortum duxit, vel motu critico velut in catarrhoſis defluxionibus [§. 164] excitatur, benignus, maxime in pueris, admodumque fugax obſervatur.

275. Secus agit cum pueris edacibus, corporibus cacochymicis, infarctisve, praeprimis ubi maligna datur epidemica conſtitutio. Tum enim pertinaciter in cute haeret expatiaturve; ipſam cutem altius quandoque rodit, vel morbis graviſſimis anſam praebet... Vetula, quam vidimus, olim in adoleſcentia herpeti diſcreto pertinaci fuerat obnoxia, quae narium eſtiomeno cancroſo poſtea periit.

276. An varia cutis in infantibus ecthymata, ſcabies, achores, herpetes &c. illos a variolis aliisque morbis vindicant vel miaſmata morbifica retundunt?... Negat HOFFMANNUS *b*) qui vidit pueros a ſcabie caeterisque ejuſmodi pruriginoſis affectibus liberatos in variolas confluentes, vel mali moris morbillos incidiſſe.

277. Verum, ut optime notat SWIETENIUS, „ad excipiendum virus quodlibet, prava requiritur „flui-

a) HIPPOCRATES, praedict. Lib. II. Sect. XVIII.
b) Med. rat. ſyſt. Vol. III. Cap. V. §. XIII.

„fluidorum ac ſolidorum diſpoſitio, quae, quo gra-„vior eſt, hoc periculoſiores ſunt, qui coincidunt „morbi. Hinc factum fuit; ut plures, qui tempore „variolarum epidemicarum impune ſe contagio expo-„ſuerant, ſequente alia epidemica conſtitutione va-„rioloſa fuerint correpti & quidem ſatis graviter *a*).

278. Obſtructos igitur & cacochymicos pueros ab aliis aegritudinibus vindicare nequit herpes, quo maximus ex adverſo arguitur ichoris & humorum in corporis penetralia confluentium apparatus.

279. Cum vero vitae viribus circa pubertatem adauctis reſerantur vaſa, & deteruntur obſtructiones; nonne herpetes tum ſalutares exiſtimandi ſunt, quorum eruptione tutus omnino recrementorum colluviei ſic paratur exitus? . . . A variolis & peſtilentia immunitatem quandoque dedit ſcabies *b*). . . Ut intempeſtivam impetiginis aut ſcabiei ſuppreſſionem frequenter ſequitur rachitis; ſic rurſus erumpente ſcabie atque pruritu excitato indeque aucto in externis membris calore, pueros facile reſtitutos vidit GLISSONIUS *c*).

280. Neque prorſus alienam ab herpetis diſcreti prognoſim habet cruſtaceus. Benignus enim cito cruſtam induit; nec ſerpit, deſquamatur & evaneſcit. Malignus e contra in morboſo corpore, vel inveteratus in eſtiomenum ſaepe degenerat.

281. Herpes miliaris recens contagio communicatus [§. 177]; externa cauſa ſuſcitatus [§. 180] vel in cute natus fidam intra criſim [§. 160, 162, 163,

a) Comment. in Boerh. Aph. 1403. Tom. V. p. 135.
b) FORESTUS, Obſerv. Chirurg. Lib. VI. Obſ. XXIV. in ſcholio.
c) De Rachitide, Cap. V. pag. 38. & Cap. XXIII. pag. 301.

163, 165, 166, 170, 175.] *vel a caufa fanguinem non multum alterante inductus* videlicet menftruorum vicarius, faepe, potiffimum in fanis corporibus, fponte evanefcit.

282. Tum puftularum ferum reforbetur aut exhalatur, vel utroque modo diffipatur, abfque medicaminum auxilio; fanaque cutis, afpera tamen ac duriufcula remanet [§. 78], vel evanefcentibus puftulis duriufculi tumores in affecto membro fuccedunt, *folis difcutientibus facile refolvendi.*

283. Nonnunquam tamen macula ficcis exarata puftulis ulterius ferpendo progreditur, & totam in qua funt, partem occupat, nifi obftiteris *a*); puftulae ad maculae margines acri fero referuntur; acerrimum plorant ichorem; & quandoque cutem ipfam & fubjectas partes arrodunt.

284. Generatim eo malignior ac pertinacior eft; qua magis angulofus, minus in orbem procedit; quo acrior eft ichor; quo vividior eft cutis rubor; acerbior pruritus; quo citius ulcerantur puftulae; quo magis vulneratur cutis fuperficies; quo magis inveteratus eft; vel pertinax, prout in corporibus obftructis vel cacochymicis obfervatur.

285. Herpes exedens, qui verfus febrium continuarum declinationem erumpit impetu vere critico, febrem & fymptomata diffipat, & paucos intra dies evanefcit [§. 84].

286. Cum vero crifi minus perfecta judicatur febris; morbi fomes partim in cutem, partim in inteftina mittitur; & aeger herpete & diarrhaea liberatnr.

287. Symptomaticus autem ac valde periculofus reputatur herpes, cum erumpit ab initio febris. *Ma-*

la

a) MANGET, Bibl, Chir, Tom. IV. de tumor. Lib. XVI. pag. 28.

la enim est quaecumqae dejectio, quae ineunte aut crescente morbo peragitur.

288. Benignus existimatur qui 1°. non in facie vel collo, sed in caeteris, potissimum extremis corporis partibus insidet; cum enim supernas impetit, frequenter ab ejus retrocessu subsequuntur deliria, comata, anginae, peripneumoniae, vel & cita mors. 2°. Cujus area videtur rubella, leviter inflammata; non livida, non nigra, non tumida, non sensu orbata. 3°. Qui obsessam cutis partem retinet, nec serpit. 4°. Cujus eruptione dissipantur cephalalgiae, deliria, praecordiorum anxietates, ardores, syncopes, &c. 5°. Qui recrementa sua probe rejicit [§. 84], nec sanatus alio resurgit; nec in estiomenum degenerat.

289. Malignus ex adverso reputatur herpes exedens qui praecurrit febres pestilentiales *a*), aut versus earum incrementum erumpit; quo praesente vigent aut exacerbantur febriles excandescentiae; qui tum in latum tum in altum cito serpit; qui sine causa vel ratione manifesta evanescit, si a pressione partis fovea relinquatur; si sensus in infecta cute dispereat, &c.

290. Cum in corporibus cacochymicis liquidorum acerrimorum moles uberior est, quam ut tota uno impetu critico mittatur ad cutem; qua proportione humoris reliquiae ex praecordiis ad illam corrivantur, eadem in circulum expatiatur macula & medio corpore cingit hominem. An ideo lethalis evadit? Affirmant nonnulli, quos inter VALESIUS *b*) & SENNERTUS *c*).

291. Zona quidem in impuris cacochymicisve corporibus valde periculosa reputatur; nec tamen ideo sem-

a) Vide FORESTUM, observ. chirurg. Lib. II. Obs. VI.
b) Controvers. Medic.
c) SENNERTUS, prax. med. Lib. V. part. III. Sect. I. Cap. VI.

ſemper lethalis. . . Imo perverſa medela tractata, ſaepe mortem infert; videlicet ubi propter acrem, quo cutis uritur, calorem, infrigidantia intus & extus advocantur. Sic qui plantaginem viridem, non ſcillam, ex conſilio Galeni, herpetibus exedentibus admovebant, citam, ut ſcribit Sanctorius *a*), mortem accerſebant.

292. Praeterea cum negligitur herpes exedens, ſaepe gangraenam & mortem advocat. In vidua crus & inguina herpetibus exedentibus occupabantur. Solitis medicaminibus obſecundabat,† qui crus exedebat: cum autem mulier de altero herpete inguinibus inſito prae pudore non admonuiſſet; ille ſibi relictus gangraena mortem intulit *b*).

293. Herpes exedens igitur (zona imprimis) maxime periculoſus eſt in cacochymicis, pallidioribus, obſtructiſve corporibus una febre putrida vel peſtilentiali decumbentibus; quae frequentius adoritur & hac de cauſa ſaepe jugulat *c*).

294. In ſcorbuticis, hypochondriacis, arthriticis &c. maxime ſenibus non raro periodice apparet herpes exedens [§. 92], & hac ratione vitam perennat periculoſis alioqui conturbandam aegritudinibus.

295. Imo chronicos viſcerum affectus quandoque radicitus extirpat. . . Vidit KLEINIUS *d*) in bibone cardialgiam chronicam zona ventrali, fato quodam ſolutam.

296. Quo magis impura ſunt corpora herpete exedente laborantium; quo malignior eſt epidemica conſtitu-

a) Legatur inſuper, Lib. XIII. method. vitand. errorum, Cap. III. pag. 509.

b) TH. BARTHOLINUS, act. med. HAFFNIENSIA, Tom. I. Cap. CVIII. pag. 198. 199.

c) MANGET, Biblioth. chir. Lib. IV. de tum. p. n. Obſ. XVI. §. XI.

d) KLEINIUS, ibid. pag. 80.

ſtitutio: quo graviores & plures adſunt cauſae, &c. hoc ille periculoſior exiſtimatur. Si enim tum caput obſeſſerit, parit phrenitidem, affectus ſoporoſos, linguae paralyſes, &c. Maxime in ſenibus, morbo fractis, cacochymicis vel ſcorbuticis... In caeteris vero cutis regionibus ubi perniciose ſedet; inflammationes viſcerum, imprimis ſtomachi *a*), hepatitidem, aſthmata, cardialgias, ſingultus, dyſpnoeas, delirium ſymptomaticum & mortem ipſam ante decimum quartum diem inferre ſolet *b*).

297. Herpes eſtiomenus aliis herpetibus moleſtior eſt, admodum pertinax & remediis parum obſequioſus. Benignus eſt, qui ex herpete miliari vel diſcreto, phlyctenis ac caeteris ulceribus ad ſuperficiem cutis magis vergentibus ortum ducit; qui recens eſt in juvenili corpore, in quo aetatis mutatione ſanari poteſt; qui firmis praedita viſceribus impetit temperamenta; qui corporibus defecandis inſervit; qui cutem illaeſis partibus ſubjectis exedit; qui ulcus exhibet benignum, non durum, non nodulis ſtipatum, in partibus minus glanduloſis ſitum; qui minus prurit, minus ſerpit, lentiori gradu movetur in cutem, qui cruſtis aut ſquamis obducitur; neque putrilaginoſus aut copioſo madidus ichore videtur, &c.

298. Eo deterior ex adverſo reputatur, quo citius, latius, altiuſve ſerpit; quo pejor eſt ichor, quem ſtillat; cum *circum glabrae* ſunt illius margines; cum circum articulos expanditur *c*); qui nodoſus eſt, praedurus glandulis obſitus; qui herpete ſquamoſo, therminthis, pſydraciis, humidae ſcabiei, impetiginibus ſuc-

a) Kleinius, ibid.

b) Hippocrates, aph. Sect. IV. Aph. VI.

c) Tozzi, in aph. Hippocrat. Sect. VI. Aph. XX. pag. 271.

successit; in corpore senili, cacochymico, vel morborum vehementia confracto. . . Non raro enim vel gangraenam inducit aut in viscera retroagitur; vel scorbuto, phthisi aut lepra perimit aegrotantes. Hanc & illam estiomeni prognosim illustrare valet exitus tineae cognitus.

299. Tinea recens mitior est; saepius facit ad secundam valetudinem *a*); pueros ab epilepticis motibus vindicat, sic ut epilepsia raro capiantur pueri, quibus in capite scabiosae pustulae superveniunt *b*). In benigna tinea cutis mollior est; digiti vestigium notat; ac post frictionem rubet *c*), temporis lapsu saepe judicatur *d*), medicina irrita *e*), & nonnunquam surditatem vel excrescentiam cranii fungosam post se relinquit.

300. Cum vero a nativitate nimium negligitur, male tractatur, aut deterior est *f*); cutis arida, testacea non rubet ad frictum; alopecia sequitur insuperabilis & in lepram abire potest . . . aegre curatur haereditaria *g*); vel cum indocilis est; de viru aliquo cogitandum *h*). Interim admodum pertinax habetur, ubi pervenit ad illum gradum, in quo ipsa capitis ossa coepit afficere *i*).

301. Quoad morbos ex ichoris herpetici retropulsione scaturientes attinet; quo malignior erit transmissi aut congeniti virus indoles; quo magis inveteratus est her-

a) Kleinius, ibid. pag. 157.
b) Baglivius, praxeos, med. Lib. I. pag. 114.
c) Kleinius, ibid.
d) Brouzet, *Educat. med. des enfans*, Tom. II. p. 101.
e) Kleinius, ibid.
f) St. Blancard. inst. chir. Cap. XVIII. pag. 455.
g) Ambr. *Paré chirur.* Liv. XVII. Chap. II. pag. 587.
h) Brouzet, ibid.
i) Swietenius, comment. in Boerhav. Aph. 1484. Tom. V. pag. 156.

herpes; vel graviores affectus, unde traxit originem; quo plures causae viribus ingeminatis herpetis eruptioni simul & repercussioni ansam dederunt; hoc periculosiores erunt morbi ex virus in viscera retropulsione scaturientes; hoc magis irrediviva corpora.

302. Cum rapitur in cerebrum ichorosa colluvies, varias aegritudines valde periculosas, non raro lethales inducit. Soporosis enim affectibus inde natis, motibus convulsivis, paralysi &c. saepe cito succedit gangraena, potissimum ubi deterior est virus indoles, debilior corporis constitutio, vel morbo confractae sunt aegrotantium vires. In cerebrum igitur, quam in caeteras corporis partes, retropelli herpetes periculosius est.

303. Generatim vero minus reformidantur morborum inde surgentium effectus, cum virus nondum in corporis penetralia radices egit; cum fluctuat [§. 117.] in telam cellulosam; cum vagi sunt dolores & symptomata incerta; ubi febris viget, nec vires collabuntur; in adultis, robustis ac puris corporibus; cum febriles inter motus non arida, non aspera, sed modice calida cutis apparet, cum urinae non tenues, non limpidae, non parcae, non suppressae; sed copiosae, turbidae, arenulis refertae; cum alvus egeritur non sicca, non parca, sed humida, copiosa, cum levamine; cum adsunt vomitus porraceae vel flavescentis materiae; vel sputa prodeunt copiosa, non concreta, cum levamine: cum in cutem revocatur ichor; vel inter vicariam insensilis perspirationis excretionem ubertim eliminatur.

304. Maximum imminet periculum ex herpetis retropulsione, si ab his aliena videantur phoenomena, si incassum tentatis opportunis medicaminibus viscera nihilominus depraedetur herpes, &c.

305.

305. Eamdem omnino prognoſim ſibi vindicant affectus herpetici corporis penetralibus inſidentes, quibus originem dedit haereditaria vel adventitia viſcerum morboſa conſtitutio.

306. Ex prognoſi variarum herpetis ſpecierum nonnulla fluunt theoremata, quae curationem illarum attinent.

307. Herpes recens & contagio [§. 187] traductus, absque vitae regimine curabilis eſt... Cum enim aliquis cum ſcabioſo concumbit, & cutis inficitur, malum vere cutaceum eſt, ac ſuperficiaria tantum eſſe debet curatio *a*). Ideo HELMONTIUS merito redarguebat Medicos, qui, ut ſcabiem contrectatione partam curarent, neglectis externis medicaminibus, cholagogis, venae ſectionibus, & pharmacis intemperiei jecoris emendandae dicatis, incaſſum eum fatigabant, ac in maraſmum ducebant *b*).

308. Eodem ſub reſpectu conſideratur herpes a cauſa externa ortus, nec inveteratus: talis eſt, quem ſuſcitarunt cutis uſtio, abraſio, frictio, ligatura, conſtrictio, &c. Tunc enim vel ſponte ſanatur, vel externa tantum exigit auxilia.

309. Cum in perfecta criſi erumpit, levi obſervato regimine, topicis curandus eſt. Si enim, inquit BALLONIUS *d*), dartae vulgo dictae non tam ſequuntur malam diatheſim partium internarum, quam externarum; an tanti refert, quanti intereſſe putant, ſi extinguatur darta, quae partem aliquam obſedit. Hinc herpetes critici in puris corporibus [162, 163, 164, 165, 166, 167,

a) BALLONIUS, in HIPPOCRAT. epid. Lib. I. p. 73.
b) HELMONT. de ſcabie & ulcer. ſcholar. p. 196. &c. ſ.
c) Tract. pathol. de morb. cut. Cap. XVI. pag. 273. R. de HAUTESIERCK, &c.
d) V. BONNET, labyrinth. med. Lib. X. pag. 608.

167, 168, 169, 170.] nullam vel minus ſcrupuloſam interni regiminis obſervantiam exigunt.

310. Praedicti herpetes [§. 317, 318, 319.] diu ſibi relinquantur, alio modo tractandi ſunt. Dum enim topicis curatio ſuſcipitur, interna quibus ſanguinis maſſa defecetur, medicamina non ſunt omittenda.

311. Qui febrium continuarum initio erumpunt [§. 232], citam exigunt medelam, & maxime fovendi ſunt, ut recrementa copioſius in cutaneum ulcus irruant.

312. Qui viſcerum obſtructionibus ex male judicatis febribus aut morbis [§. 255] ſuecedunt; non abigantur, niſi vitia viſcerum prius emendata fuerint.

312. Herpetis in febre criſi imperfecta judicata erumpentis curatio ſuſcipiatur, dum non negliguntur indicata medicamina.

312. Herpetes in graviditate nati; fluori albo, lactis aut lochiorum ſuppreſſioni [§. 262, 263] ſuccedanei, ſibi relinquantur; donec opportunum curationis tempus habeatur.

313. In his attendamus ad aegrotantium temperiem [§. 266], viſcerum conſtitutionem, & fluidorum indolem. Si enim pravus eſt corporis habitus & malum curabile; prius mutari debet idioſyncraſia, quam ad topica deveniamus.

314. Serventur herpetes haemorrhoidibus ſuccedanei in ſenibus; in adultis vero non abigantur, quin prius redintegrata fuerint viſcera [§. 261].

315. Qui ſcorbuto [§. 178], ſcrophulis [§. 179], rheumatiſmo [§. 165], arthritidi [§. 166] lui venereae [§. 182], motibus ſpaſmodicis [§. 258] ſuccedunt herpetes, ſcrupuloſe ſerventur; neque topicis ten-

tentur, quin viru aut recrementis tincta prius expurgata fuerint corpora.

318. Intactus dimittatur herpes ex acrium defluxione vel ulcerum retropulsione [§. 174] ortus; neque topicis tentetur, nisi in juvenibus aut adultis, ac severo praemisso regimine interno.

319. Qui ex levi tantum in sex rerum non naturalium usu [§. 145, 146, 147, 148, 149, 150, 153, 154, 155, 156, 157, 158, 159] errore sobolescit herpes; magis curationem externam amat; minorem affectat medicaminum internorum pompam.

320. Cum vero diuturnior fuit *non naturalium* abusus [§. 329]; curationis internae major habeatur ratio.

321. Qui herpetes infarctibus viscerum] [§. 144] succedunt in corporibus morbosis, pallidis [§. 232], intacti dimittantur, neque tractentur, nisi prius immutata fuerit tota corporis constitutio.

322. Generatim herpetis curatio longe tutius tentatur in pueris, praecipue puberibus; minus tuta in adultis; praecipue in mulieribus, quae quadragesimum annum superant: verum periculosa videtur in valde senibus.

Temporibus Medicina valet, data tempore prosunt.

Hinc in aetate senili, gravi morbo contritis, vere scorbuticis & cacochymicis a diuturno tempore hominibus semper in memoria servetur effatum: *virium conservatio praestantior est, quam morbi depulsio.*

CAPUT

CAPUT IV.

De variarum Herpetis specierum curatione generali.

SECTIO I.

De Praesidiis internis.

323. Cum virus herpeticum arte vel Natura tractatum nusquam legitimi puris indolem valeat induere [§. 142] in ejusdem alteratione vel evacuatione totus variarum herpetis specierum curationis cardo vertitur.

324. Potissima chronicarum aegritudinum causa triplex *a*) recensetur; videlicet humorum multitudo, crassities & viscositas, quibus acrimoniam non immerito subjunxeris. In his autem, inquit TOZZI, *multum temporis insumitur, ut multa diminuantur, crassa tenuentur, incidantur viscosa, demulceantur acria*; nisi vitia humorum nuperrime contracta [§. 317] fuerint.

325. Victus imprimis regimen, aeris delectus, exercitia corporis, &c. vario modo pro diversis circumstantiis moderata non minimam in curatione variarum herpetis specierum partem sibi vindicant.

326. Inedia minor evadit moles humorum; uberius dissipantur recrementa: levius, etiam ad stateram evadit corpus; roborantur fibrae; fluida tenuantur; reserantur vasa; tolluntur infarctus; & his succedanei herpetes facilius abiguntur, potissimum in pinguedinosis & cacochymicis.

 327.

a) GALENUS, Lib. II. de different. feb. Cap. ultim.

327. Verum tenuis non ſit victus, licet parcior hic laudetur. In illo namque delinquunt aegri *a*), qui ſemper in chronicis affectibus eſt periculoſus *b*). Talis igitur non eſt opportunus, niſi temperamentis in quibus major, habita viſcerum virtutis ratione, ciborum ingeritur copia, quam quae vitae viribus elaborari, applicari vel excerni valeat.

338. Sit igitur contrarietas remedio *c*): & labes voracitate contractae, per inediam curentur *d*).

339. Qui vero plenior victus annui poteſt ſanis vel leviter morboſis; idem impuris, infarctis aut aliquo viru tinctis non parum infeſtus eſt; corpora enim impura quo magis nutriveris, eo magis laeſeris *e*).

340. Interea major habeatur ciborum qualitatis ratio. Cum enim acria, pinguia, piperata, ſalita, cibos farinaceos, carnes fumo duratas aegre ferat ventriculus, & exinde non raro ſcaturiat acrimonia [§. 132] muriatica; manifeſtum eſt ulceris herpetici ſanationem fruſtra ſperari, niſi blandis alimentis obtuſa fuerint ichoris herpetici ſalium ſpicula.

341. Huic adimplendo ſcopo multum idonea ſunt lac, lacticinia, ova, piſces fluviatiles, cremores hordei cum jujubis, ficubus, oryzae varia praeparata, &c.

342. Aſt interea ſedulo vitentur acidum nimis ſpirantia; vegetantia nimis ad accidum proclivia, quibus laxarentur fibrae & fluida ſpiſſarentur; piperata & acria quaelibet, quae majorem humoribus motum conciliarent;

a) Hippocrates. aph. Sect. I. Aph. V.
b) Idem, ibid. Aph. IV.
c) Idem, ibid. Sect. II. Aph. XXII.
d) F. Hoffmann. med. rat. ſyſt. Vol. III. Cap. V. §. VI. pag. 431.
e) Hippocrates, aph. Sect. II. Aph. X.

rent; ciborum farragines &c. *habita nihilominus loci, consuetudinis & temperiei ratione a*).

333. Quoad potum attinet aqua; diluentia quaelibet solvendis alimentis equidem inserviunt; ast humores efficiunt aquosiores. His emolliuntur fibrae; torpent vasa, & segnius commota parcius eliminantur excrementa.

334. Hinc est cur illa valde noceant languidis, pinguedinosis, cacochymicis, pituitosis, &c. in quibus actuosioribus utendum est medicaminibus ... quidam hic optima sanitate fruitur, qui estiomeno totum occipitium depascente olim laboraverat. Per quinquennium innumera frustra tentaverat, cum desperatae sibi visae salutis taedium ut allevaret, vino liberalius indulsit, quo nunquam usus fuerat. Quatuor intra menses, vini potus erexit vires, dedit solatium ac salutem restituit... Hoc modo sanatus fuit Riverii *b*) aeger, cujus tibiae frequenter crysipelate deturpabantur.

335. Ex adverso, qui potus spirituosus aut aromaticis impraegnatus maxime juvat pituitosos, pinguedinosos, cacochymicos; melancholicis, siccis & biliosis plurimum infensus esse potest; quatenus humorum spissitudinem, acrimoniam, ac proinde viscerum infarctus fovere potest; aut acrium humorum colluviem ad corporis ambitum evocare.

336. His in temperamentis aqua copiosa, quam robustus ferre valet ventriculus *c*), solvit alimenta, salia diluit ac temperat; spissa resolvit; vasa reserat; ac proinde sive cibos, sive medicamina herpeti debellando idonea vehat, eorum virtutem non parum erigit *d*)...

 non

a) Sanctorius, method. vitand. error. in art. med. Lib. XIII. Cap. III. pag. 505. & seq.
b) Riviere, Observat. Cent. II. Obs. XII. pag. 217.
c) Barchusen, Collect. Med. gener. pag. 122.
d) De la Metrie, *Théorie chymique*, pag. 100.

non igitur in ſiccioribus temperamentis, etiam dum ulceribus foedatur corpus, ſemper a diluentibus aut refrigerantibus abſtinendum *a*).

337. *Impura corpora, quo magis exercentur, eo magis laeduntur.* In languidis ex quiete ad motum ductis effatum imprimis verum deprehenditur, ſaepe enim recrementa, quibus tela celluloſa turget, in organum nobilius irruunt; variaſque, pro variis circumſtantiis, edunt ſtrages.

338. Ideo niſi prius expurgatis impuris corporibus nocet corporis exercitium. Caeterum vires obſirmat; bilis [§. 33] & caeterorum excrementorum [§. 25] evacuationem fovet; & corporibus defecandis non parum inſervit.

339. Hac forſan ratione ductus Ill. Boerhaavius *b*) in variis aegritudinibus, in quibus exercitia corporis ad curationem conferre poſſunt, horum vicarias commendat frictiones; quas in impuris (niſi antea defecatis) merito damnavit Averrhoes *c*).

340. Aſt corporis motus debilioribus multum utilis, valde infenſus eſt ſiccis & cholericis hominibus. Moderato igitur motu corporis in debilibus, quiete in ſiccis facilius praeçaverentur aut curarentur herpetes.

341. Eadem ferme de componendis ſomno & vigilia, variisve animi pathematibus, habita nihilominus hominis uniuſcujuſque conſuetudinis aut temperamenti ratione, non immerito diceres.

342. Neque omnibus herpete laborantibus idem placet aer: corpora enim cacochymica, pinguedinoſa & humida, cutaneis ulceribus aut defluxionibus obnoxia;

a) HENRIC. ab HEER. obſ. med. pag. 200.
b) Boerhaavius, Conſultationes medicae, variis locis.
c) P. ALPINUS de Medicina Aegypt. fol. 113.

xia; quae depressis, paludosis in locis, humidioribus in casis vitam degunt; sicco & calidiore recreantur aere. Ideo Veteres inter Medicos acceptus erat mos aegrotantes in arenosa loca sole repefacta mittendi, ut hac arte serum acre ciendis defluxionibus opportunum per insensilis perspirationis vias eliminaretur *a*).

343. Ex adverso crassus & humidus aer iis imprimis opportunus est, quibus cutis fortuna vel nativitate laxior, facile in sudores extillans, *corpora sicca fecit b*) *& crebris defluxionibus aut ulceribus cutaneis obnoxia.* Herpetes igitur, qui praegressa calida tempestate suscitati sunt in corporibus siccis, refrigeria magis postulant. Hic praestat aer humidior, uti Parisinus, quem laudant in herpetum curatione *c*). Nunc ad interna medicamina deveniamus.

344. Serum lactis crassos, viscidos, concretos humores diluit; fluxiles facit; infarcta reserat viscera; humorumque acrimoniam temperat; scciores humectat fibras; relaxat spasmo constrictas; & medicaminum vires quandoque multum adauget. . . „In corporibus „siccis, inquit BAGLIVIUS *d*), ulcere aliquo tentatis, „praestant diluentia ex sero lactis &c. diaetaque his ob- „servata; quibus temperatum sal acre ulcerum per com- „modas naturae vias eliminatur & cicatrici locus faci- „lius annuitur."

345. Cum inter *alterantia* reponitur serum lactis, uberius hauriendum est, ut ubique corporis manife-

 sten-

a) M. AUREL. SEVERIN, *Medecine efficace de l' insolatiu*, Chap. I. pag. 471.

b) TOZZI, de recto *non natural.* usu, de aere, pag. 212.

c) GABR. FALLOPIUS, de tumor. Cap. XI. de ulcerib. fol. 12.

d) BAGLIVIUS, de usu & abusu vesic. pag. 658.

ſtentur ejus vires & emunctorium omne ſero lactis reſeratum ſuam abripiat ichoris herpetici particulam. Auctorem hujus conſilii habemus HUGENIUM, qui majori, quam ſuo tempore fieri ſolebat, copia ſerum lactis ſuadebat in antiquis totius corporis ulceribus prurigino-ſis. *Qui enim*, inquit *a*), *exiguam illius quantitatem potant, fruſtrantur fine alterationis & purgationis.*

346. Non minus apud Veteres in uſu erat antequam ſcammoneum *b*) & valida pharmaca uſurparentur in inveteratis ac pertinacibus cutis affectibus. Imo valde celebratur cum aquis medicatis, aperientibus &c. per ſeptimanas *c*) ingerendis, ad tollendas viſcerum obſtructiones: neque parum inſervit ad moderandos febriles impetus in herpetibus potiſſimum exedentibus, qui eryſipelatis in modum erumpunt, ac proinde refrigerantibus internis, haud ſecus ac inflammatorii morbi, locum annuunt *d*).

347. An magna copia ſerum lactis, lac & lacticinia, niſi medicata, in obſtructis, impuris, cacochymicisve corporibus ingerenda ſunt?... Vetat BAGLIVIUS, qui diaetam exſiccantem, decocta ſudorifera & caetera ejusmodi, ſiccis (prout nos edocuit obſervatio) corporibus admodum noxia, illis valde commendare videtur *e*).

348.

a) HUGENIUS, Ep. & conſ. med. Tom. II. Lib. I. & T. I. Lib. XII. Epiſt. I.

b) HOFFMANN. med. rat. ſyſt. Vol. III. Cap. V. §. XV. XVI. pag. 433.

c) Idem, ibid.

d) R. de HAUTESIERCK, obſ. de med. Tom. II. Obſ. V. pag. 318.

e) BAGLIVIUS, de uſu & abuſu veſic. pag. 658.

348. Juſcula pullorum, teſtudinis, ranarum *a*); lac bubulum, aſininum *b*) praeſtantiſſimos exerunt effectus in curatione defluxionum acrium quibus obnoxii ſunt ſenes, ſtomacho languidi, ſpaſmis tentati, praecipue ſicci & macilenti, in quibus magis debent expugnari humorum acrimonia & mordacitas [§. 340] quam craſſities & tenacitas *c*)

349. Catharctica ſordes in alimentaria fiſtula remoratas excludunt; inteſtina ſtimulant; adaugent motum ſanguinis in abdominalia viſcera: recrementorum inibi fluctuantium excretionem promovent; infarctus minuunt; ad ſanguinem deducta vaſorum vires erigunt; excretiones adaugent & corporibus defecandis non parum inſerviunt.

350. Suſpectus non eſt eorum uſus cum adſunt ſpiritus ſolito fetidior; linguae ſordes; cephalalgiae ac ſenſus ponderis in ſtomacho a prandio; ventriculi dolores ac ſubverſiones; ructus acidi, nidoroſi; borborigmi, colici dolores, cum moleſtis lumborum aut artuum laſſitudinibus.

351. Neque minus utilia ſunt inveterato herpete tentatis. obſtructis, impuris, cacochymicisve corporibus. Neglectis enim purgantitibus, vel topica fruſtra tentantur, vel topicis excuſſus herpes cito reſurgit.... „Qui, „inquit, ORIBASIUS, totum corpus purgat, deinde re„pellentia particulis affectis admovet, is herpetem, ut par „eſt, curat. Qui vero ſtatim utitur iis, quae cuticulae ci„catricem inducunt; is cuticulam equidem ſanat, caete„rum non prohibet, quin de integro priori ſimilis affectus

G 5 „ori-

a) ASTRUC. *Traité des Tumeurs*, Tom. II. Liv. II. Chap. II. pag. 283.

b) HIPPOCRATES, de int. affect. Lib. IX. Epid. Lib. VII. & aliis locis.

c) TOZZI, in HIPPOCR. in Aph.

„oriatur aut in deteriorem transseat *a*)... Foemina, „inquit GALENUS, herpete in malleolo laborans, „purgatione tandem adhibita convaluit."

352. Varia pro variis temperamentis, variis circumstantiis, purgantia suadentur... Vix veratro proruditur alvus in aratoribus & athletis, quorum dura corda, pectus ahenum... Mulierculas aliquando mire conturbant levia catharctica... Cum torret aegros juvenilis aestus, cum flava bilis in praecordiis accenditur, prout in erysipelatosis febribus [§. 297, 299] fieri videmus; cum exaestuant acrioribus turgida succis ventriculus & intestina: tubum alimentarium, antequam ad catharctica deveniamus, uberrimis irrigari diluentium imbribus necessum est.

353. Talis cautela minus opportuna videtur in pueris, mulierculis, cacochymicis, maximaque generis nervosi sensibilitate donatis hominibus, in quibus sordes alimentarii tubi copioso potu dilutae migrarent ad massam sanguineam; herpetemque (prout non semel observavimus) exasperarent; ventriculum alioqui relaxarent, & digestiones jam laesas penitus everterent.

354. Debiliora igitur, cacochymica corpora, pueri & mulieres parciorem amant potum, blandioraque & tonica catharctica; ex adverso pituitosi & ad melancholiam humoralem proclives, colocynthidem, scammoneum & veratrum ipsum vel minime reformidant.

355. His pharmacis ad expurgandam bilem atram in cholericis & hypochondriacis feliciter utebantur Veteres *b*): & maxime locum habent in herpetibus inveteratis, estiomeno, squamoso &c. qui pituitosos, melancholicos, obstructos infestant.

356.

a) ORIBASIUS, med. synop. Lib. VII. Cap. XXXIII. Rabbi Moses de Aegypt. Part. IV. aph. sent. 115.
b) CL. LORRY, de melancholia, T. II. p. 301 & seq.

356. Aſt cum noſtris temporibus efficacia ſimul & tutiora noverimus, illa ſenſim *a*) obſoleverunt. Ex uſu potius venerunt varia reſinoſa mercurialibus adjuncta, quorum laudes a quibusdam HIPPOCRATIS Interpretibus celebrantur *b*).

357. Verum haec (niſi parca doſi concedantur) validiora ſunt & admodum infenſa vere ſcorbuticis; quibus prae caeteris arrident mel, ſerum lactis &c. . . . „datur, inquit DIOSCORIDES *c*), ſerum lactis iis qui„bus ſine vehementia molimur dejectiones adverſus le„pram, elephantiaſim, & efflorefcentias per totum „corporis habitum erumpentes". . . Cum ſucco citri *d*), vel ipſum lac cum aquae quinta parte mixtum *e*).

358. Ex adverſo in ſtomacho languidis, cacochymicis, obeſis, &c. praeſtantiores obtinemus effectus ex purgantibus, quae dum ſordes primarum viarum expurgant, una ſtomacho robur conciliant; qualia ſucci depurati fumariae, &c. Rhabarbarum & varia ex eo praeparata, &c. Inter haec POTERIUS extollit catholicum, cujus & depurantium uſu paucos intra dies antiqua ſanabat *f*) ulcera.

359. Neque etiam omittenda ſunt purgantia iis in affectibus, quibus ichoroſa colluvies *vi vitae* partim in cutem partim in inteſtina tranſlata eſt; talia ſunt ſennae, rhabarbari &c. Cum tamarindis decocta, ſalia nonnulla, manna, caeteraque ejuſmodi. . . . „Tuberculis enim, „inquit GALENUS *g*), in cute exiſtentibus, ſi Natura „to-

a) HOFFMANN. med. rat. ſyſt. Vol. III. Cap. V. §. IX. pag. 452.
b) CARDANUS, oper. med. Cap. X. §. 92. pag. 390.
c) Lib. II. Cap. LXXV.
d) Sylvaticus, Cent. I. conſ. XXII.
e) ORIBASIUS. Lib. IV. Cap. XIII.
f) Oper. med. Cent I. Cap. LXXX. & aliis locis.
g) GALENUS, in aph. HIPPOCRATIS, Sect. II. Aph. XV.

„totam superfluitatem ad cutem non transmisit, tutis-„sima erit purgatio.“

360. Cum in inveteratis herpetibus minus prospe-ros ex validorum pharmacorum [§. 374, 376] usu obtinemus effectus, ad emetica confugiendum. Angli Medici non alio utuntur remedio ad omne languoris genus & solvendas abdominis obstructiones *a*).

361. Bilis in jecore quandoque moratur, acrimoniam aut lentorem contrahit; nec raro sucta telae cellulosae foraminibus in cutem ducitur. Alvus stricta, candicans, ructus acidi, flatus, colici dolores, pravae digestiones, lassitudines, cutis color luridus, sensus ponderis in toto corpore; hypochondriorum tumores, vitia visceruin, praecipue jecoris luculenter arguunt. Verum bilis excretioni prae caeteris favent exercitia corporis & emeticorum usus; dum enim inter horum operationem mirum in modum contorquetur omni ex parte corpus; tanta nonnunquam succedit bilis excretio, ut ad quindecim libras cum bonis aegri rebus egesta fuerit *b*).

362. In exhibendis purgantibus ad aeris constitutionem & anni tempestatem etiam attendendum est. Herpes enim qui praegressa calida simul & sicca tempestate [§. 150] praecipue versus autumnum effloruit, magis amat edulcorantia, diluentia &c. quam evacuantia quaelibet. His etenim non utendum nisi postquam illa prius usurpata sunt. Insuper: *aestate ventres superiores magis purgentur, quam inferiores.*

363. Vere & autumno imprimis accidunt herpetes [§. 149]. Cum vero languent Naturae motus *quos ad corporis defecationem haec excitaverat*, atque sti-

a) Robinson, of food ant discharges, pag. 115.
b) Raymond, *Traité des maladies dangereuses a guérir*, Tom. II. pag. 47.

ſtimulis indiget, quibus exeretiones peragantur, ſcoriae morboſae in motum a Natura ductae ſudificis, diureticis, catharcticis potiſſimum ſaepe feliciter eliminantur. Hanc aſſertionem firmat PALMARIUS, qui elephantiaſim incipientem ſola catharſi & phlebotomia vere & autumno celebratis ſanaſſe ſe gloriatur *a*). Opportunum autem prae caeteris eſt herpetum curationi vernum tempus, dein aeſtivum.

364. Si vero herpes ſit tantummodo cutaceus [§. 317] vel modo quolibet ita ſuſcitetur, ut illaeſis corporis penetralibus ſola cutis vulneretur; ſupervacaneum eſt, ne dicam periculoſum pharmacis aegros fatigare... Hinc POTERIUS merito redarguit eos, qui putant nullam fieri poſſe ulcerum ſanationem absque alvi ſubductione; citra phlebotomiam, citra manifeſtam aliquam evacuationem *b*).

365. Expurgatis alimentariae fiſtulae ſordibus; ichoroſa colluvies per varia corporis emunctoria ſubducenda eſt vel ſpecificis retundenda. Verum ducatur per *loca magis convenientia.*

366. Porro cum materies vaſis impacta ſanguiferis & lympha lentiores ſunt, quam ut per cutis ſpiracula poſſint eliminari, cum interea torpent vaſa, & languet humorum circuitus, diuretica multum valent in curatione herpetum.

367. In languidis & humidis corporibus maxime juvant diuretica calida; vaſorum enim vires erigunt; movent humores; lentos, viſcidos attenuant, eliquant & meabiles per varia corporis emunctoria, praecipue per urinae vias efficiunt.

368.

a) V. SCHENKIUM, obſ. med. Lib. VI. Obſ. II. pag. 804. & ſeq.

b) P. POTERIUS, obſ. med. Cent. II. Cap. I. pag. 6.

368. Ideo cacochymicis, ad Scorbutum declinantibus, arthriticis, catarrhosis, defluxioni obnoxiis, languidis, debilibus, pituitosis, pinguedinosis nonnihil acria & paulo calidiora medicamina prae caeteris arrident; scilicet juscula millepedum, cum corallis, cum oculis cancrorum; antiscorbutica piperata virtute donata, beccabunga, raphanus rusticanus, fumaria, lupulus, &c... Trifolio fibrino intus & extus usurpato ulcera depascentia etiam inveterata brevi temporis spatio sanabat WILLIUS *a*).

In praedictis igitur corporibus in quibus ad scorbuticam humorum dissolutionem via tantummodo panditur, & magis adest eorum lentor, quam dissolutio & liquefactio, valde utilia sunt ejusmodi medicamina.

369. Cum vero sic inveteratus est morbus, ut loco crassi sanguinis ac concreti, serum valde tenue, coccinei coloris & saporis acris habeatur *b*); erodentes urgeant dolores; pulsus parvus sit & inaequalis; sudores diffluant frigidi cum universalis lassitudinis sensu, detrimentum potius, quam juvamen ex antiscorbutis acrioribus est expectandum.

370. Ideo tinctura cantharidum in herpete squamoso sicco [§. 61] caeterisque crusta vel squama obductis, quibus pituitosa tentantur corpora; humores lenti sunt ac spissiores, sanguis concretus; in ipsa lepra &c. non raro praestantissimos exerit effectus, qua haud secus ac sinapizatis, acerrimis vegetalibus, salibus alkalinis volatilibus *c*), humores quoslibet cito & potenter resolvi propriis compertum experientiis habuimus: qua tan-

a) V. TH. BARTHOLIN. act. med. Hafn. Tom. II. Cap. LXXV. pag. 124.

b) F. HOFFMANN. ibid. Tom. IV. Part. V. pag. 10.

c) TH. BARTHOLIN. ibid. Vol. I. Cap. CXIII. pag. 208.

tandem ſanguinis & humorum feces per urinarios ductus ubertim abripi docuit obſervatio *a*).

371. Verum in ſcorbutica ſanguinis & humorum diſſolutione (qualis ab Hydrargyroſi nonnunquam deprehenditur *); item in ſcorbuto confirmato valde noceret *b*): idem medicamentum [§. 398], quod in pſora, lichene & lepra, ſeu herpete ſquamoſo & impetigine hac forſan ratione lethale vidit PLINIUS *c*).

382. Hinc nonnunquam evenit ut ex optimis medicaminibus intempeſtive advocatis efficiantur venena... ſic dum herpes vere criticus apparet; niſi febris vehementia & ſicca robuſtaque corpis conſtitutio locum annuant nitro & frigidis medicaminibus, haec valde ſuſpecta, imo periculoſa reputantur, ut pote quae reprimunt motus febriles, materiam ex cute ad interiora revocant, Naturae conatus interturbant, morbique fomitis reliquias ad interanea ſaepe revocant.

383. Praeſtat igitur his in circumſtantiis eo ducere humores, quo *Natura vergit,* & potu copioſo, diluenti, aromatico ſuſcitatis (ubi languet febris) vaſorum motibus, morbi reliquias ad cutem ſudificis mittere, quam humorem jam ex corporis penetralibus excuſſum ad penetralia frigidis revocare.

384. Praeſtat etiam, ubi vires aegrotantium ſufficiunt, ad inſtar LANGII quieſcere, quam aegros fatigare pharmacis. Saepe enim herpetes haud ſecus ac ſcabies verſus quartanarum aut continuarum declinationem apparentes citra omne praeſidii genus evaneſcunt, prout LANGIUS de ſcabie ſcribens centies obſervavit. Quod ſi tunc, inquit, phlebotomia facta fuiſ-

a) R. MEAD, Medicina ſacra, Cap. II. pag. 15.
*) V. STÖRCK, ann. med. ann. 1758. pag. 26.
b) F. HOFFMANN. Vol. III. Cap. V. §. II. pag. 434.
c) LANGIUS, ibid. Ep. XLVII. pag. 210.

fuiſſet, vel pharmacum exhibitum, ingens fuiſſet periculum, ne per venas, per quas materia morbi fuerit expulſa, haec prorſus ad interna viſcera retrahatur. Quae de pharmacis aut venae ſectione hic docet LANGIUS *a*), ea de diureticis frigidis, aut refrigerantibus quibuslibet audienda ſunt.

375. Nihilominus & aegrotantium conſtitutionem attendendum eſt. In ſiccis enim ac biliofis hominibus fibrae ſunt rigidiores, vaſa magna, ſanguis concretus, cum notabili humorum ſpiſſitudine & acrimonia pediſequa. Porro copioſum lactis ſerum cum alkalinis plantis non acerrimis, variiſve nitratis, humores cum ſanguine tenuat, demulcet, liquat, per urinae vias potenter emovet; ac proinde in herpete ſquamoſo ſicco, caeterisque cruſta vel ſquama obductis, quibus tentantur melancholici, ſtrictioris habitus & ſicci homines, maxime locum ſibi vindicat.

376. Hinc in impetigine, herpete ſquamoſo, eſthiomeno [§. 96] &c. qui magnas cutis areas obſident, ac obducti ſquamis cruſtiſve perſpirationem plurimum imminuunt vel cohibent; maxime juvare poſſunt. Tum enim cutis excrementa, prout non ſemel vidimus, verſus urinarios ductus confluunt; urinae craſſiores, rubicundae, turbidae, arenulis refertae, ſedimento divites eructantur, pruritu & ardore cutis hoc modo plurimum imminutis.

387. Cum recrementorum illuvies ex corporis penetralibus ad cutem ducitur [§. 161, 162.] vel praepedita inſenſili perſpiratione [§. 149, 151] ſeſe produnt herpetes; nec ad abſolvendum *depurationis opus* Natura ſufficit; maxime juvant potus theae *b*), pulveres

a) LANGIUS, ibid.

b) Multum adauget inſenſilem perſpirationem. De HALLER, elem. phyſiol. Tom. V. Lib. XII. Sect. XV.

res diaphoretici, decocta lapathi, cardui benedicti, ſcordii, ſambuci, ſcorzonerae, &c. Ligni Guaiaci, Betulae, &c. largo ſeri hauſtu temperata.

378. His imprimis annuitur locus, ubi lymphaticorum imbrium iners ac viſcida moles variis in organis fluctuat; nondum in aliquod viſcus fixa eſt; ubi ſanguis ſpiſſus eſt, viſcidus ac parte glutinoſa [§. 184] nimium fetus; prout in pituitoſis, catarrhalibus, rheumaticiſque defluxionibus obnoxiis ſaepe deprehenditur.

379. Cum adoleſcens elephantiaſi tentatus non alio potu, quam ulmi decocto in vino uteretur, tantos ac graveolentes experiebatur ſudores, ut vix illos *a*) cuſtodes ferre poſſent. . . Inveteratos & aliis remediis obſurdeſcentes herpetes pertinaci Ulmi decocti uſu diſſipatos fuiſſe novimus.

380. Empiricus decocto ſtibii calcinati cum *ſalſa* & aliis, morbos cutaneos pernicioſaſque ſcabies perſanabat *b*).

381. In affectibus ejuſmodi, ut in multis aliis incurabilibus, obſervatum eſt multam antimonialibus educi colluviem nigram, pituitoſam, aquoſam, virideſcentemve *c*).

382. His medicaminibus adeo confidit POTERIUS *d*), ut dixerit eos qui non debitis cautelis pſoras (herpetes ſquamoſos) tractant; virusque ſub cute latitans per antimonialia non evacuant, plane deridendos eſſe.

383.

a) J. DOUYNETUS, Lib. I. Cap. VII. Magna inſuper prodibat urinae, craſſae & nigricantis copia. . . Eadem, ut obſervavimus, praeſtitit ſimarubae radix.

b) F. PLATERUS de ſuperf. corp. dol. pag. 866.

c) P. ALPINUS, de med. Aegypt. Lib. IV. pag. 130.

d) P. POTERIUS, ibid. Cent. III. Cap. LXXI.

382. Aqua pluviosa, inquit HUXHAMUS *a*), & fluviorum aliquo modo in antimonii crudi corpus agit, ac refert lacteum colorem & sulphureum antimonialem odorem & saporem, si cum eo moderato solis aut ignis calore digeritur... *Atque hanc aquam ita refertam ac large potam in cutaneis aliisque morbis magnam utilitatem praestitisse compertum fuit.*

383. Tantam vim antimonialibus ad evertendos achores, pustulosos & pruriginosos affectus tribuerunt, ut varia ex antimonio praeparata, luis venereae & chronicarum cutis affectionum specifica nuncupent *b*).

385. In herpetibus inveteratis in quibus humorum lentorum cum acrimonia deprehendimus; nec adsunt viscerum obstructiones, neque cacochymica vel scorbutica corporis constitutio; *observatione dignum est in contumacibus cutis defoedationibus quae saepe revertuntur* (vel pertinaciter in cute haerent), *frustra tentatis omnibus aliis remediis, diaphoretica cum mercurialibus etiam externe adhibitis, effectus exeruisse praestantissimos c*).

386. Interim haec circa sudificorum usum annotanda veniunt: lue venerea pustulosa vel corrosiva laborantes optime se habent ex usu sublimati cum sudificis, quae valde noxia sunt eadem inflammatoria lue [§. 182] tentatis, vel scorbutica humorum crasi donatis corporibus.

387. In obstructis tamen vitentur sudifica, donec mercurialibus, aperientibus, &c. infarctus viscerum dissipati fuerint.

388. In herpetibus criticis febris augeatur scabiosae, cardui benedicti, &c. decoctis, ubi languidior fuerit; imminuatur, si vehementior [§. 385]; acria tamen hic scrupulose vitentur.

389.

a) HUXHAMUS, Observ. de antimon.

b) TH. BONNET, oper. chir. Tom. II. Lib. VI. de affect. externis, pag. 303.

c) F. HOFFMANN. Cent. II. III. Sect. IV. Cas. 162.

389. In catarrhalibus defluxionibus, quae in herpetem diſcretum miliaremve degenerant in pituitoſis cacochymicisve corporibus, levia ſudifica prae caeteris advocentur, quae non irritata febre perſpirationem nihilominus foveant; videlicet betulae, tuſſilaginis infuſa, bardana, ſalix quae ſiccat abſque morſu *a*, &c.

390. Acria vero, ſpiritus cornu cervi, alkalia volatilia, Guaiacum, &c. prae caeteris uſurpentur ubi ſanguis & humores craſſi ſunt, eorum lentore gravatur corpus, nec interea notabilis obſervatur in cacochymiam vel ſcorbutum propenſio; ſecus, prout ſaepius accidit, & morbus & pruritus exaſperarentur.

391. Sudores in herpetibus inveteratis eliciantur, ſed ante omnia defecatum ſit corpus, & expurgatus tubus alimentarius; ſecus, prout in cacochymicis potiſſimum ac impuris corporibus evenit, morbus irritaretur.

392. A ſudificis abſtineant bilioſa & ſicca corpora; ne (prout nuper evenire novimus) ſcabies aliive pruriginoſi affectus addantur herpeti.

393. Verſus autumnum ac hyemem ablegentur ſudifica, quae vere declinante ac aeſtate potius advocentur. . . . Generatim pro vario cauſarum confluxu, aegrotantium temperie, conſuetudine, acris opportunitate nunc admittantur, nunc rejiciantur.

394. Viperarum carnes, juſcula, pulveres in curatione cutaneorum affectuum olim valde celebrabantur. Verum illarum uſus non parum obſolevit ex quo PALMARIUS auctoritate FERNELII commotus viperarum varia praeparata tanquam inutilia vel noxia rejecit; quod in quibusdam elephantiacis nullum bonum, noxas potius intulerint.

a) BALLONIUS, conſil. med. Tom. I. Conſ. XXI.

395. Ipſe HOFFMANNUS *a*) propriis & aliorum obſervationibus fretus, viperarum virtutes magis tribuit aliis medicaminibus quibuſcum adjunguntur; ac Veterum opiniones veluti praejudiciis aſtructas infirmare conatus eſt; ita ut dubium ſupereſſe videretur contrariis obſervationibus *b*).

396. Attamen viperarum juſcula vel carnes oleum animale, mucumque ſalibus alkalinis volatilibus refertum continent. In corporibus igitur ſiccis quorum humores ſpiſſi ſunt & ſanguis admodum tenax, *juſcula viperarum:* in iis, in quibus ex ſolidorum atonia & recrementorum lentore infarciuntur viſcera, *viperarum ſales ac pulveres* maximum emolumentum afferre poſſunt, quatenus *illa* fluidorum acrimoniam & ſpiſſitudinem retundunt, *haec* ſanguinem & humores ſolvunt, vaſorum vires nonnihil erigunt, humores lentos incidunt & recrementa per varia corporis emunctoria, praecipue per urinae vel perſpirationis vias, placide averrunt *c*).

397. In herpetibus igitur inveteratis, in corporibus ſcrophuloſa vel venerea lue tinctis; non obſtructis, aſt infarctis; vel ſiccis, melancholicis, &c. Viperas herpeticarum affectionum ſpecifica non immerito diceres, quae inter optima depurantia militant, etſi rudes aliam tueantur opinionem.

398. Neque reponat HOFFMANNUS viperae virtutes ab aliis medicamentis, quibuſcum illa jungitur, eſſe repetendas. . . . Ab his aliena docet propria doctus experientia Ill. MORGAGNUS *d*), qui ſolis viperarum ju-

a) Med. rat. ſyſt. Vol. III. Cap. V §. XVII. XVIII. pag. 434.
b) V. SCHENKII, Obſ. med. Lib. VI. Obſ. I. pag. 804.
c) TOZZI, in HIPPOCR. aph. Sect. III. Aph. XX. p. 54.
d) De morb. chir. Ep. anat. med. Lib. IV. Ep. LV. pag. 156.

juſculis ſcabies inveteratas, ipſa ulcera variis medicaminibus fruſtra tentatis intra annum ſiccabat & perſanabat. . . In herpetibus foediſſimis, inquit ETMULLERUS *a*), praemiſſa purgatione, optime conducebat eſſentia viperarum, dum topicis perſiciebatur curatio. . . Quidam antiqua pſora (herpete ſquamoſo) laborans, cum infinita medicamina tentaſſet, *ſolis* viperarum carne & juſculis utebatur, ſic ut tota aeſtate plus quam centum quinquaginta quinque comederit; quaſi renovata cute totus alter factus eſt, & qui valde ſenex apparebat, quaſi juvenis viſus eſt *b*).

399. Ab his non multum alienas obſervationes tradidere GALENUS *c*), HAENIUS *d*) &c. aliasque praedictis addere ſupervacaneum eſt. Satis eſt cum POTERIO notare vix utilem eſſe viperarum uſum, niſi diu productum. . . Ab hac ſententia parum recedere videntur MEADIUS *e*), qui *frequentiorem viperarum uſum* commendat; & BALLONIUS, qui viperas *majori doſi ſuadet, ita ut vertiginem inducant f*).

400. Caeterum non concedantur, niſi hominibus, quorum viſcera ſunt bona *g*); vel cum aqua ſero lactis, vino, ſudificis, medicaminibusve huic vel illi temperamento magis idoneis, ac ante omnia purgatis. Rarius uſurpentur autumno & hyeme, longe frequentius vere & aeſtate; in ſicca enim & calida temperie, ac

a) Oper. med. Tom. III. caſus & obſ. Obſ. CCXLIII. pag. 435.
b) POTERIUS, Cent. II. Cap. XCI. pag. 69.
c) GALENUS, de ſimp. med. facultat. Lib. II.
d) A. de HAEN. rat. medendi, Tom. V. p. 181. & ſeq.
e) De venenis tentamen primum, pag. 40.
f) V. BONNET, labyrinth. med. Lib. X. de affect. extern. pag. 609.
g) F. JOEL, oper. med. Tom. V. Lib. II. Sect. III. pag. 114.

ac proinde in regionibus calidis praeſtantiores effectus exerere videntur.

401. Uſu ſulphuris interno laxatur alvus; vaſa ſtimulantur; moventur telae celluloſae ſubcutaneae liquores & per inſenſilis perſpirationis vias eliminantur.

402. In temperamentis humidis, pituitoſis, non obſtructis, neque phthiſicis ac tuſſientibus hominibus, *quos interemiſſe vidimus a)*, neque cacochymicis, neque ſcorbuticis aliquo ulcere tentatis, par vix habetur remedium; ſcabiem enim humidam *b)*, herpetes & ulcera ſerpentia humida ſiccat, & brevi temporis ſpatio ſanat; maximeque locum habet, ubi cutis affectus ſunt tantummodo cutacei [§. 317, 318, 319].

403. Verum ſit prudens hujuſmodi medicaminis uſus tum internus, tum externus; ſaepe enim cobaltum & arſenicum adjunguntur: ulcera quidem ſiccat; aſt non raro prioribus pejores, exitioſas nonnunquam edit ſtrages, ſive primarum viarum inflammationem & gangraenam excitet; ſive citius exſiccato, quam par erat, ulcere, ichoris reliquiae cum noxiis mineralium particulis deducantur in viſcera.

404. Neque enim varia metalla per ſublimationem ipſam, ut dicit Cl. GEOFFROY *c)*, a ſulphure prorſus extricari nobis liquido conſtat, qui novimus quantum volatile ſit arſenicum, ubi variae minerae, quibus detinetur, in ignem conjiciuntur.

405. Quapropter, quamvis DIOSCORIDES & alii ſulphuris externum uſum comprobaverint in curatione leprae, ſcabiei & pruriginoſorum affectuum; valde ſuſpectum, licet aliquoties [§. 412] utiliſſimum

a) F. HOFFMANN. Vol. III. Cap. V. pag. 436.

b) MORGAGN. Ep. an. med. LV. pag. 12. & ſeq.

c) Mater med. Tom. I. de ſulphure, pag. 179 & ſeq.

mum, tale medicamen reputamus moniti GOULARDI obſervationibus quibus conſtat acrium & caeterorum ejuſmodi medicaminum ulceribus impoſitorum *tenues particulas in ſanguinem ita permeare, ut aeger veneno affectus moriatur, de vera mortis cauſa nemine interim ſuſpicante.*

406. Mercurialia medicamina viſcidos humores attenuant; ſolvunt; impacta movent recrementa; ex viſceribus inter adauctas alvi, ſudoris, urinarum excretiones expellunt; adeoque ſpecifica quaſi virtute herpetes inveteratos, potiſſimum in lue venerea tinctis diſſipant tum interne tum externe uſurpata.

407. Cum inſumuntur ut *alterantia*, minori doſi diuturno tempore ingeruntur, ut maſſa humorum ſenſim tenuata ſenſim eliminetur. Tum dulcis Mercurius, Turpethum minerale, prae caeteris corroſivum ſublimatum parca doſi & repetitis vicibus ingeruntur, interjectis pro re nata catharcticis, diureticis vel diaphoreticis [§. 377, 394, 405].

408. Cum vero (quod rarius evenit) citius expellendus eſt morbi fomes, hydrargyroſa doſi majori brevius utra temporis intervallum adminiſtrantur. Hac arte non raro obtinetur *ſalivatio* (modo per evacuantia [§. 435] non impediatur hydrargyroſis); & impetigines aliquae, prout obſervavit WILLISIUS; vel alii pruriginoſi affectus & ulcera ſanantur.

409. Interim notandum eſt longe praeſtantiores ex hydrargyroſis effectus obtineri fumigationum quam frictionum ope .... infantes mercurialibus (niſi parca doſi conceſſis) non citra noxam adſueſcere ... ſcorbuticos, cacochymicos ab hydrargyroſi ſe pejus habere .... phthiſicos, tuſſiculoſos, haemorrhagiis obnoxios corroſivum ſublimatum citra detrimentum non

ferre *a*) . . . externum in ulceribus hydrargyrosorum usum nonnunquam esse periculosum *b*) . . . caeterum solo mercurii dulcis usu interno cum aconito ulcera serpentia narium [§. 100] etiam cum ossium carie sanata fuisse *c*) . . . a mercurialium usu sudifica in crassis & pituitosis, purgantia in cacochymicis, diluentia in siccis corporibus morbi non omnino devicti reliquias penitus abigere . . . in ulceribus venereis, scrophulosis, & caeteris, in quibus nulla datur luis suspicio, multum juvisse externum sublimati corrosivi usum . . . herpetes potissimum squamis aut crustis obductos, vel esthiomenos *d*) etiam inveteratos facile persanari.

410. Aquae minerales pro variis, quibus impraegnantur mineralium particulis, prosperos in herpetum curatione nonnunquam edunt effectus.

411. Aliae sunt calidae, quae viribus additis languenti stomacho coctionem promovent *e*), vasa reserant, ac moles recrementorum importunas per cutis spiracula secum abripiunt.

412. Externe ulceribus & pustulis herpeticis impositae, cutis organa roborant; humorum ad ulcus pustulasve herpeticas confluentium excretionem efficaciter promovent; ulcera siccant; pustulas abigunt. . . Oleo Petroleo montis Zibinii sive interne sive externe usurpato inveterata cutis ulcera, varios affectus cutaneos, elephantiasim ipsam sanabat RAMAZZINUS *f*) . . .

Her-

a) STÖRCK, ann. med. pag. 67.

b) P. POTERIUS obs. med. Cent. I. Cap. I. pag. 5. HILDANUS, &c.

c) VAN SWIETEN, Tom. V. de lue venerea.

d) F. JOEL, oper. med. Tom. V. Lib. II. Sect. III. pag. 111.

e) CL. LORRY, introd. ad comm. in SANCTORII aph. Sect. II. de aere.

f) De Petroleo montis Zibinii, pag. 357, 358.

Herpetem miliarem solis aquis thermarum feliciter tractabat FABRICIUS *a*).

413. In humidis herpetibus [§. 62, 70, 106, 109] locum imprimis habere videntur aquae thermales; si caeteroquin obstructa non fuerint viscera; neque cacochymia, neque scorbuto tententur aegrotantes. . . . Tunc enim ulcera calefaciunt; materies ichorosa fit acrior; ulcusque magis molestum evadit *b*).

414. Quoad usum internum attinet; quae in scorbuto nondum confirmato sanant ulcera *c*), carolinae minus conducere videntur, ubi perfecta jam adest sanguinis dissolutio & putredo *d*). . . Item in cacochymicis ac obstructis corporibus, in quibus morbi fomitem ducunt in infirmiora viscera, prout saepe nos edocuit observatio. . . Ubi potionibus purgantibus, phlebotomiis, lotionibus, balneis, frictionibus & sudificis incassum exagitatus fuit aeger; illarum enim usum insignis Marcor, vigiliae pertinaces, dolores in ulceribus longe acerbiores, inappetentia, & ulcera nova novis succedentia subsequuntur *e*). . . Ubi, priusquam ingerantur, praeparatum non fuit corpus; etenim ab earum usu mala toleratis graviora saepius accidunt *f*) . . . in siccis quibuslibet herpetibus; potissimum biliosa aut macilenta corpora infestantibus.

415. Maxime vero conferre videntur, ubi ex solidorum inertia languent excretiones, in temperamen-

H 5 tis

a) Fabr. ab Aqua pendente, Lib. I. Part. II. Cap. XXVIII. fol. 730.

b) HILDANUS, obs. chirurg. Cent. V. Obs. XC. p. 420.

c) F. HOFFMANN. med. rat. Tom. IV. Part. V. p. 29.

d) SWIETENIUS, in Boerhaav. aph. 1164. Tom. III. pag. 631.

e) P. POTERIUS, Cent. II. Cap. I. pag. 34.

f) HILDANUS, pag. 420. HIPPOCRATES, epid. Lib. I. No. 4.

tis obefis, craffis ac pituitofis; labe rachitica, fcrophulofa, vel venerea tinctis; qui in rheumaticos, arthriticosve infultus incidunt: potiffimum in herpetibus exedente vel miliari qui hypochondriacis infarctis, non obftructis, nec vere fcorbuticis familiaris eft; item in iis qui a repercuffa perfpiratione pertinaces in pectus aut aliud organum experiuntur catarrhofas defluxiones; vel quibus *ex frigiditate*, ut aiunt, *ventriculi* languent ciborum concoctiones *a*).

416. Thermae ferro impraegnatae maxime valent ad referandas pertinaces lienis, jecoris aliorumve vifcerum obftructiones eorum in quibus materia vifcida vifceribus impacta ob vaforum inertiam fufcitavit vifcerum infarctus [§. 143.]

417. Verum calorem adaugent, potiffimum in ficcis corporibus; putridos ichores in fcorbuticis, cacochymicis, marasmo fractis, phthificis commovent, morbumque faepius exafperant; fic ut ex earum ufu fcabies in lepram converfa fuerit *b*) . . . a martiatis igitur, ut fulphureis aquis five arte, five natura paratis caute his in circumftantiis abftinendum eft *c*).

418. Aquae vitriolicae dictae intus affumptae ftringunt fibras; ventriculum roborant; fpiffant fluida; calorem internum temperant, minuunt perfpirationem, urinas adaugent *d*); adeoque fcorbuticis aliquo ulcere tentatis multum arrident.

419. Aft non parum infenfae funt cacochymicis, rachiticis, lue fcrophulofa vel venerea tinctis . . . imo ca-

a) Th. Bartholinus, act. med. Hafnien. Vol. I. Cap. CXLVIII. pag. 283. & feq.
b) Turner, *Traité des maladies de la peau*, Tom. I. pag. 33.
c) Morgagn. Ep. LV. §. 3. & aliis locis.
d) Chesneau, obf. de natur. & vir. aq. Barbot, p. 635.

catarrhosas defluxiones, tusses variosque pectoris morbos exasperant *a*).

420. Extrinsecus advocatae siccorum herpetum crustas & squamas averrunt, stricturam cuti (haud secus ac aquas alumine tinctae) sensibus manifestam inferunt, nascentes impetigines, crustaceos herpetes & siccos esthiomenos brevi temporis intervallo persanant; dum partis, cui applicantur, perspirationem non parum imminuunt.

421. Succis amaris aliquoties annuitur locus in curatione herpetum. Maxime juvant infirmos aliosque quorum saburra imprimis acida scatet ventriculus.... Abrotanum, chamaemeleum, eupatorium, enula &c. mane jejuno ventriculo commissa praestantissimos hic exerunt effectus; licet in delicatulis & maxima generis nervosi sensibilitate donatis hominibus aliquoties emoveant ventriculi subversionem.

422. Alii corticem Peruvianum sero lactis vel vino infusum valde praedicant; qui ventriculum recreat; digestiones restituit; primarum viarum sordes placide subducit; & ad massam sanguineam delatus, vasorum vires acuit; recrementaque, quibus potissimum in periodicis affectibus gravantur aegri, per varia emunctoria citius ac tutius quam alia praestant medicamina, eliminat, si MORGAGNI, &c. dictis fides non sit deneganda.

423. In herpetibus igitur, qui periodice recurrunt [§. 85, 304] ac ex vitio digestionum vel corporum impuritate sobolescunt, vel quibus occasionem dedit sanguinis & humorum lentor, maxime locum habere videtur: sanguinem enim concretum liquat, solvit spissos ac tenaces succos; ita ut post diuturnum ejus usum,

d) TH. de BORDEU, *usage du mercur. & des eaux de Bareg. dans les écrouelles*, pag. 121,

usum, sanguis e vena fluxerit rutilus, tenuis; & post horam in multum serum & exiguam levis consistentiae placentam abiverit *a*).

424. Prae caeteris eos juvat in quibus ob vasorum inertiam languent excretiones; pituitosos, humorali melancholia laborantes, eosque quorum herpetes (prout in nonnullis medicina exhaustis observavimus) periodice resurgunt. Inter optima enim depurantia *b*) militat cortex Peruvianus, quo praeterea (teste SWIETENIO) feliciter utimur in siccis & marasmo fractis *c*) haud secus ac in phthisicis ulcere interno laborantibus *d*).

425. Verum ut prosperos ex usu corticis Peruviani, guaiaci, salsae &c. obtineamus effectus, quaedam cautelae sunt observandae: 1°. sanguis, modo ferat aegri conditio, mittatur; 2°. tubus alimentarius expurgetur; 3°. victus sit tenuis; quo enim tenuior est, hoc citius sanatur aeger. Tandem „hic in hypo- „caustum se recipiat & mane singulis diebus per quatu- „or septimanans decocti radicis kinae libram unam hau- „riat." Sic enim, inquit JOEL *e*) reliquias vitiosorum humorum & saniem ad ulcus confluentem praescindimus.

a) A. STÖRCK, ann. med. 1758. de morb. acut. pag. 50. 51.
b) Barbette, Chirurg. de herpete pag. 190. HOFFMANN. &c.
c) SWIETENIUS in Boerh. Tom. V. pag. 532. & seq.
d) VIGIER, *Grande Chirurg. des ulceres*, Chap. XXII. pag. 89.
e) JOEL, praxeos, Lib. X. Sect. III. pag. 555.

SECTIO

SECTIO II.

De Praesidiis externis.

426. Inter praeſidia chirurgica herpeti debellando idonea non infimum tenet locum ſanguinis evacuatio. Potiſſimum confert in exedentibus herpetibus [§. 235, 236.] caeterisque tumoribus e bilioſo humore confluente ortis *a*): moderatur enim febriles impetus; corporis aeſtum reprimit; praepedit viſcerum inflammationes, deliria [§. 86, 87] &c. quibus premuntur aegri, antequam humor cutem appellat.

427. Evacuatio ſanguinis alia *derivativa*, ut aiunt, alia *vacuativa*. Prior imprimis eſt utilis cum ſanguis febriles inter excandeſcentias magis in hoc vel illud viſcus irruit, in quo ſua ſtaſi infarctus, inflammationes & gangraenas advocare poteſt. Tum in extrema vel remota corporis parte celebratur evacuatio, ut cerebri, pulmonis aliorumve viſcerum pernicioſi praecaveantur affectus. Hac arte Dux utriusque Bavariae a lumbis ad genua usque zoſtere circumdatus, febre continua detentus, aeſtuans ad delirium usque, inciſa pedis utriusque ſaphena, adhibitis quoque, quae febrem reſtinguerent [§. 385], a morte vindicatus eſt *b*).

428. In temperamentis vere plethoricis, in quibus ad inferas partes revocandus eſt ſanguis [§. 171, 172] una & vacuandus, valde confert ejusmodi praeſidium... In hypochondriacis & haemorrhoidalibus quorum in cutem herpes effloruit a receſſu haemorrhoidum, ſanguinem hirudinibus ad anum feliciter revocamus *c*).

429. In curatione variarum herpetis ſpecierum ſanguinis evacuatio potiſſimum iis confert, quibus fuit in

a) P. Alpinus, de med. Aegypt. Lib. II. Cap. VII. pag. 52.
b) Langius, Ep. med. XXII. pag. 597.
c) Hoffmann. ibid. §. V. pag. 431..

in consuetudine; hominibus macris una & sanguineis, adultis; caeterisque, quorum vasa magna, pulsus elati, & arteriae temporum micant. Hos autem plurimum juvat arteriotomia *a*).

430. *In omnibus*, inquit GALENUS *b*), *qui sic praeter naturam consistunt, tumoribus*, *communis indicatio*, *vacuatio est.* Verum haec fiat pro corporis idiosyncrasia *c*)... Cum enim languent aegrotantium vires; pulsus humilis est, cacochymica, pituitosa, vel scorbutica datur corporis constitutio; in inveteratis potissimum herpetibus, qui pallidiores ac obstructos invadunt; valde suspecta, imo periculosa merito reputatur *derivativa* simul & *vacuativa* sanguinis evacuatio, quam his de causis, prout suspicari licet, damnavit in sua chirurgia Barbette *d*); *parcamque fieri, diversivam, nec ita copiosam, quam ea quae fit evacuandi gratia*, *annuit Amatus Lusitanus e*).

431. Longe praestantiores edit effectus *vacuativa*, quae fit in ipsa parte cutis ichore herpetico tincta. Ea enim in viciniis ulcerum cutaneorum celebrata, non raro sanguis effluit spissus, nigricans, concretus, tabefactus & longe benigniores apparent, faciliusque sanantur herpetes.... Secta tibiali vena, ulcuscula tibiae saepe repullulantia sanavit M. AURELIUS *f*)... Secta frontali vena, squamosus herpes evanuit, frustra tentatis quibuslibet medicaminibus *g*).

432.

a) M. A. SEVERIN, *Chirurg. efficace de l'arteriotomie*, pag. 89, 90.
b) Medend. meth. Lib. XIV. Cap. 3.
c) P. ALPINUS, de med. Aegypt. ibid.
d) Chir. de herpete, pag. 190.
e) A. Lusitanus, curat. med. Cent. II. Cur. XXXVIII. pag. 185.
f) M. A. SEVERIN. II. *Part. de la Chir. affic.* Chap. XXVII. pag. 126.
g) Idem, ibid.

432. Venae vel arteriae ſectione ſaepe praeſtat ſanguinis, ope ſcarificationis vel hirudinum, eductio. In inveteratis cutis defluxionibus Veteres utebantur ſcarificatione *a*).... Chalmette *b*), aſſentiente Rhaſe *c*), jubet in eſtiomeno fricari corruptas carnes, donec ſanguis effluat... In tinea confirmata vult BALLONIUS *d*) profunde ſcarificari margines ulceris... In omni cutanea affectione, impetigine & igne volatico ſeu herpete diſcreto ad eſtiomenum vergente Rudius *e*) laudat ſcarificationes, ut minuatur cutis inflammatio; & novarum puſtularum eruptio praepediatur ... nuſquam citius ac efficacius coercentur herpetes miliaris & ſquamoſus, cum ſerpunt, quam ope ſcarificationum *f*).

433. Verum ſcarificatio nullibi magis opportuna deprehenditur, quam in herpete exedente eryſipelati ſuccedaneo. In eo enim mirabiles exerit effectus, praecipue cum ichor ex una cutis parte in aliam diffluit, cum educto ſanguine, cutis ut obſervavit HAGEDORNIUS *g*), ardor, fervor & pruritus valde minuantur; nec ulterius expatietur macula; nec novae puſtulae prorumpant.

434. Imo, cum herpetibus imminet gangraena, maxime juvant ſcarificationes: eductis enim, ut vult Aretaeus, hac via cutis ſordibus facta in cute vulnera medicaminibus quae gangraena obviam eant, locum facilius annuunt.

435.

a) Inter eos, HIPPOCRATES, Ep. Lib. VI. Sect. V. §. XXI. FOESIUS, pag. 1185.

b) ENCHEIRIDION, *des Chir.* Chap. VII. pag. 47.

c) Conſ. med. Lib. II. Conſ. XIX. Tom. II. pag. 233.

d) RUDIUS, de ſympt. ext. Lib. II. Cap. II.

e) VIGIER, *Gr. Chir.* Chap. II. pag. 319.

f) VIGIER, *Grande Chirur.* Chap. II. pag. 519.

g) TH. BONNET, ſepulc. anat. Tom. II. Lib. VI. Sect. II. Obſ. X. pag. 258.

435. Quae de ſcarificationibus ad evacuandam humorum illuviem in ulcera herpetica confluentem uſurpatis diximus, ea de hirudinibus ſimiliter audienda ſunt, quae Veteribus in iisdem circumſtantiis, in quibus juvant ſcarificationes, plurimum arrident.

436. Hirudinum, inquit JOEL *a*), inſignis eſt utilitas in Arte Medica, quibus utimur *vice cucurbitularum* aut ſcarificationis vel *venae ſectionis*, in evacuatione ſanguinis impuri & putridi, in morbis particularibus, ut ſunt ſerpigines & alia maligna ulcera &c. . . . . „Sacro igni ſeu herpeti exedenti melancholicae mulieris crus exedenti profecerunt ſanguiſugae elicientes „proximis e venis fervidum aduſtumque ſanguinem, „qui perennem fomitem pervicaci illi ulceri hactenus „ſuppeditaverat: quo exacto facillime ceſſit reliqua moleſtia, non ſecus ac ſi placida manus Aeſculapii fuiſ„ſet impoſita *b*).“

437. Nec minus utilis eſt ſanguinis evacuatio in morbis ex retropulſo herpete ſcaturientibus; potiſſimum ubi, qua proportione fluit in cutem ichor ex viſceribus ope cucurbitularum extricatus; eadem ſcarificatione vel hirudinibus educitur. Nullum profecto tutius ac efficacius huc advocari poteſt medicamen, cujus ope (niſi ſtrages jam intulerit exitioſas, ſeu pertinacem inflammationem & gangraenam excitaverit ichor herpeticus) acerbi dolores, &c. cito citius reprimi valeant.

438. Quemadmodum in variis affectibus viſcerum, ſic in cutaneis non raro confert *humectatio* cujus ope ſtrictiores emolliantur fibrae, humorum ſpiſſitudo vel acrimonia retundantur, &c. Inter praeſidia ad hunc ſcopum dicata eminent balnea, fotus, fumigationes, quorum varius eſt pro variis circumſtantiis uſus.

439.

a) F. JOEL, Chirur. Sect. IV. de hirudine, pag. 140.
b) V. TULPIUM, obſer. medic. de herpete exedente.

439. Ut herpetem curatio facilius obtineatur, cutis sollicite suis est expurganda sordibus; dum continuis indusiorum ac linteorum mutationibus ab omni immunditie corpora defenduntur.

440. Balneorum vel fotus ope remorata in summa cute recrementa discutiuntur *a)*; cutis uberius perspirat; aqueae balnei particulae bibulos ejus introsubeunt porulos; vasa cutanea reserant; fluida diluunt; obtundunt acria; demulcent pruritus.

441. Multum juvant in herpete furfuraceo [§. 52] miliari sicco [§. 79], esthiomeno sicco [§. 96]; caeterisque herpetibus crusta vel squama obductis, in robustis potissimum corporibus antea regimine interno praeparatis, ut monet FALLOPIUS, ne fiat uberior ichoris ad partem ulceratam affluxus.

442. Minus comprobantur balnea & fotus ex aqua simplici, quibus finitis pars affecta nimium refrigeratur (quemadmodum in debilioribus imprimis accidit); cutis stringitur [§. 5]; ac recrementis obruitur. Ideo potissimum in humidis herpetibus illa vitantur.

443. Praestant in siccis herpetibus saliva, cujus virtutes potissimum in *furfuraceo* notae sunt *b*), haud secus ac in caeteris herpetibus siccis [§. 459] omnibusque pustulis ac ulceribus, antequam radices egerint *c*); vel Antiquorum *d*) hydraeleum, quod ex oleo

a) M. AUR. SEVERIN, ibid. Cap. XXVIII. pag. 435. contra varias cutis defedationes balneis utuntur Aegyptii P. ALPINUS, de med. Aegyp. Lib. III. Cap. XIX. pag. 114.

b) CELSUS de re medica, Lib. V. Cap. XXVIII. §. XVIII. BARBETTE, FORESTUS. &c.

c) JOEL, ibid. Tom. V. Lib. X. Sect. III. pag. 546.

d) FALLOPIUS, de ulceribus, Cap. XVI. Fol. 18.

oleo & aqua conficiebant; vel balneum aquae fluviatilis cum furfuribus decoctae, lacte recenti temperatum; quod multum valere dicitur *a*) in ficcis ac moleftis cutis affectibus, vel ad fquamas averrendas, vel cutis ardorem temperandum... Ad hunc etiam fcopum commendatur mixtura pomorum putridorum cum oleo rofarum & lacte *b*).

444. In herpetibus humidis longe alio modo fe res habet, praecipue fi corpora fint cacochymica vel fcorbutica, cutis laxa & foeda humorum illuvie confpurcata. In his praeftant balnea medicata, quae dum fordes cutis averrunt, una cutem & ulcera nonnihil abftergunt aut exficcant. Talia funt balnea cum radicibus enulae, fumariae, fcabiofae, &c. *c*)... „Mumia „Aegyptiaca cum cineribus abietis conteritur ac digeri„tur per aliquot horas in aquae fumariae unciis duabus, „cui fi addatur oleum ebuli & camphorae, divinum in „ulceribus cutaneis illinitione fola medicamentum habe„tur. Hujus internus & externus ufus valde commen„datur ad mundandum corpus, aperiendum, praecipi„tandum, &c. in cachexia, fcorbuto & affectibus hypochondriacis.

445. In herpetibus exedentibus ac humidis quibuslibet, maxime cavendum eft a balneis, diluentibus, refrigerantibusque; nifi febri validae notabilis erethismus, vel ulceri ficco fervor adjungantur; *frigidum enim eft* (ut cum HIPPOCRATE loquitur AVICENNA *e*), *ulceribus inimicum, calidum vero amicum & judicans.*

446.

a) HOFFMANN. ibid. pag. 436.
b) RIVIERE, obf. de Medec. pag. 279.
c) F. HOFFMANN. ibid.
d) TH. MOUFETUS, Ep. ad Monavium, apud Cratonem, Ep. med. L. Cap. III. pag. 238.
e) Nulla, inquit AVICENNA. humectatio, utpote ulceribus non conveniens.

446. Praeterea GALENUS a) docet refrigerantia, quae herpetibus exedentibus conferunt, ex humectantium classe non esse depromenda, verum ex siccantibus, adeoque non lente palustri, non psyllio, non portulaca, sed ex vite, capreolis, rubi foliis, &c. inungendos esse herpetes. Quod enim, inquit, si posca aquosa, vice horum, fueris usus, nil deterius feceris.

447. Hinc merito SANCTORIUS redarguit eos, qui plantaginem viridem ulceribus [§. 83.] exedentibus admovent. Hoc enim medicamine constricta cute remoratus ichor vel in cutem congeritur, vel in viscera retroagitur, & cita gangraena inducta mors morbo finem imponit, ut vidit EGBERTUS b).

448. Hinc fotus ex sumacho, floribus ebuli &c. in vino rubro & veteri decoctis maxime proficiunt in *exedente, miliari, discreto, phlyctenis*, caeterisque herpetibus, in quibus excoriata videtur cutis superficies.

449. His, cum ad exsiccandos herpetes [§. 458] imparia sunt, addantur tutia, lapis calaminaris, pompholyx, corallum &c. cerussa imprimis, sal saturni, variaque plumbi usti praeparata.

450. Praedictis topicis, quae neque calorem valde adaugent, neque stricturam cuti majorem inferunt, potissimum in herpetibus humidis utebantur Veteres, quorum vestigia premere gloriati sunt Recentiores. HIPPOCRATES laudat calcis aquam *quam vult ita temperatam ut ne magis ulceret* c)... Observatione compertum est praemissa fomentatione calida cum vini Gallici vappa, herpetes discretos, humidos quoslibet, etiam

I 2 per-

a) GALENUS, Lib. II. art. curat. ad Glaucon.

b) Comment. in DODONAEI oper. Cap. V. de erysipelate faciei, pag. 282.

c) TOZZI in Aph. HIPP. Sect. III. Aph. XX. pag. 55. WALSCHMIDIUS, Not. in chir. BARBETTE: Tom. I. pag. 634.

pertinaciores fuisse sanatos.... aquam coronae solis alkalinis salibus fetam herpeti debellando maxime idoneam *a*) testatur RIVERIUS.... Alii laudant nidum hirundinis, *qui nec exsiccare nec repellere dicitur*... Alii Thermas praecipue Bollenses, quae *magis habent vim repellendi quam exsiccandi.*

451. Fotus etiam sicci laudantur in curatione variarum herpetis specierum. In humidis herpetibus maxime locum habent & parantur ex lateribus siccis, carbonibus extinctis, &c.. . Hac arte herpetes exedentes, discreti, miliares humidi, ulcerati & in estiomenum declinantes non raro siccantur, crustis obducuntur, & sanantur... Secali usto & calido hunc in finem utebantur Veteres *b*), & tale medicamen ad exsiccandos herpetes discretos rusticis admodum familiare video.

452. Frequentius ad usum vocatur siccus fotus cujus ope ulcera cutanea, vaporibus ex lignis accensis, spirituosis, &c. avolantibus exsiccantur... Vapori calido vini spiritus nudum corpus (pharmacis & diluentibus antea praeparatum) tangenti sudores copiosi succedunt; ubertim dissipantur excrementa, siccatur ulcus & sanatur aeger.

453. Fotui sicco hac arte instituto locus imprimis annuitur in herpetibus inveteratis, estiomenisque sive putrilaginosis, sive cancrosis, quibus obnoxii sunt cacochymici, vel aliqua lue tincti.

454. Cum vero minus licet exhaurire corpora, qualia sunt sicca, phthisica, scorbutica, &c. sic instituuntur fumigationes, ut in ulcus incidant vapores; & in his circumstantiis varia pro ulceris indole, aegri temperie subjiciuntur igni medicamina. Hinc varia se prodit fumigationum utilitas.

455.

a) *Observ. de Medecine*, Obs. XXXIV. pag. 739.
b) N. FLORENTINUS, Serm. VII. Tract. VI. Sum. I. Cap. III.

455. In herpetibus, in quibus molestus adest pruritus, ut hic demulceatur; vel in retropulsis, ut eo revocetur ichor, unde fuerat excussus; vapor carnis bullitae mittitur in antiquam ulceris retropulsi sedem; vel in herpetem ipsum, ut cutis emolliatur, tepefiat, demulceantur humores, uberius exhalentur; vel ichor obtundatur *a*).

456. Hoc tentamen minus opportunum esset herpetibus humidis, in cutis regionibus, ex quibus uberius exhalatur serum, insidentibus; ac proinde recrementa specificis, ordinariisve medicaminibus excutienda sunt, unaque cutis roboranda. In his circumstantiis maxime valet experimentum JOELIS, quod sic se habet.

457. Scoria ferri ex fabrorum ferrariorum fornacibus ducta candescat in igne; stillet spongia vinum in scoriam deciduum & vapor exinde manans octiduo (*vel amplius*) bis in die per horam integram excipiatur a loco lichene seu serpigine tentato; tum enim omne virus per sudorem elicitur, pars exsiccatur & solita sanitas succedit.

458. In inveteratis esthiomenis, in quibus nulla datur luis suspicio, tabo conspurcatur ulcus ac velut emortuae sunt margines; mos erat Antiquis, myrrhae, thuris accensi vapores in ulcus ducendi ut hac arte facilius ad cicatricem perduceretur... Tabaci fumigatione vitiliginem nigram cum ossium carie sanavit SEVERINUS *b*).

459. Verum in herpetibus, qui ex aliquo viru, potissimum venereo sobolescunt, incassum tentarentur fumigationes, nisi specifica jungerentur... In fissuris ve-

 ne-

a) HIPPOCRATES (ed. Foes.) de natura muliebri, p. 582. R. de HAUTESIERCK, Tom. II. Obs. VII. pag. 319.

b) *Chirurg. efficace*, Chap. XXIV. pag. 441.

nereis BACCIUS ſuper omnia laudat fumigationes ex cinnabare & antimonio. ... Ulcera narium ſerpentia, imprimis quae ex inveterata lue venerea oriuntur, ſuccenſa caudela ex minio, cera, cinnabare, ſublimato, praecipitato non raro curantur, ſi SEVERINI dictis fides adhibenda.

460. In ſquamoſis herpetibus & caeteris qui nunc ichore, nunc ſquamis obducuntur, nec ultra cutem expatiantur cum minore hujus inflammatione; aſt tumore vel infarctu: maxime valent medicamina, quae humores attenuant, demulcent, pruritus minuunt; cutem ſtringunt, obfirmant, ac humorum in ulcus irruentium confluxum cohibent.

461. Talia ſunt oleoſis impedita cinerum lixivia; ſales acidi; aluminoſi, aquae vitriolicae, aluminoſae, &c. quae praeſtantiſſimos hic [§. 448] exerunt effectus.

462. Lanae combuſtae pulveribus cum aqua roſarum aſperguntur herpetes ac feliciter circumliniuntur, experimento bis vel ter in die repetito. *Non vidi me hercle*, inquit VALESCUS, *medicinam in hoc caſu magis expertam: aegram* enim *partem ſanat ſiccando, ſanat ſiccando, ſanamque defendit ſtyptecando & roborando.* .. Aqua roſacea & aceto cum bolo armeniaco vel terra ſigillata herpetes obliniri vult idem Author.

463. Atramentum in uſu eſſe conſuevit apud ruſticos. Hoc remedium in recentibus herpetibus, praecipue cruſtaceis, ut obſervavimus, caeteriſque ſiccis ex thermintho &c. natis feliciter ex voto ceſſit.

464. Cum major adeſt cutis aſperitas, ſquamis aut cruſtis obducuntur herpetes: corpore ad ſolem expoſito vini acetum ſuperaſſundi jubebat HIPPOCRATES. Hoc remedio tenuantur cutis excrementa; rubet cutis; in-

intumescunt ejus emunctoria, nec parum defecatur corporis superficies.

465. In siccis herpetibus lixivium fagi vel pomi cinerum filtratum cum ovi vitello & alumine pro *secreto* habent nonnulli; quo nascentes impetigines, pustulas siccas & herpetes squamosos brevi temporis intervallo sanari vidimus; qui tamen cito, cum omissa fuerat interna cura, resurgebant... Aceto lythargyrizato feliciter utebatur TURNERUS.

466. In herpetibus inveteratis qui in humidis cutis regionibus insident [§. 282], & hujus excoriationem inferunt, usum oleae, hederae, rubi & mali punici dulcis foliorum tritorum ac vino veteri maceratorum suadebat HIPPOCRATES.

467. Cum vero superficiaria tantummodo deprehenditur cutis excoriatio, plebis remedium in herpetibus imprimis exedentibus, phlyctenis & ambustionibus nil aliud est quam optimum vini acetum cum saccharo, gummisque prunorum & cerasi, quibus, adjunctis fumariae & chaerophilli jusculis, cura perficitur; vel & ebuli flores vino rubro decocti.

468. Praedicti herpetes quilibet, cum venerei sunt, nisi mercurialibus utamur, modo relatis medicaminibus ut saepius obsurdescunt; pergunt acre serum plorare; imo topicis nonnunquam exasperantur.

469. „Si vero, inquit JOEL, serpigo, lichenes & „pustulae ex gallica lue ortae sublimato liquore extenso „illiniantur; eae siccatae, prurigineque sublata facile sanantur... „Sedens in mulieris facie miliaris herpes „variis topicis frustra tentabatur, donec siccantibus & „absorbentibus hydrargyrum jungeret RIVERIUS *a*).

470. Herpetes humidi in ruricolis [§. 181] ebulo cum vino facile dissipantur; nec adduntur varia

 plum-

a) RIVIERE, ibid.

plumbi praeparata nisi quando malum pertinax deprehenditur; qui apud oppidanos, in quibus longe frequentior est venerea lues; sublimato & hydrargyrosis paucos intra dies abiguntur.

471. In herpetibus estiomenis qui partes exedunt subcutaneas, ichorem acrem, saniosum, copiosum effundunt; in quibus non durae, non callosae, licet tumidae deprehenduntur margines, sed potius observatur quaedam partium velut emortuarum laxitas ac mollities [§. 97]; actuosis & vividioribus medicaminibus utendum est, quae vulnus abstergant, mortuas partes absumant, vasa roborent, & superfluum ichorem absorbeant.

472. Decoctis agrimoniae, fumariae, gentianae, scordii &c. prius absterso herpete, spongia siccato, oleosis *a*) involvuntur alkalia fixa; thuris, myrrhae, aloes, &c. pulveres adduntur.

473. Cum haec debilius agunt, sublimatum dulce; oleum Tartari per deliquium cum oleosis; sublimatum corrosivum; aqua phagaedenica, unguentum Aegyptiacum; &c. prae caeteris usurpantur; quorum usus protrahitur vel intercipitur, prout citius tardiusve purgantur ulcera.

474. Cum enim, inquit GALENUS, malignum est, ac putrilaginosum ulcus, acria postulantur, quae igneas vires possident: qualia mysi, chalcitis, calx, &c. saepe vero ubi ista cesserint, admovemus ignem.

475. Quod si his non obstantibus ulcus nihilominus serpat; oleo vitrioli tangendum est; decoctis abstergentibus abluendum; spongia siccandum & variis exsiccantibus [§. 476] ad cicatricem ducendum; quibus si

a) Oleo liliorum vel hyosciami, si major adsit pruritus. HOFFMANN. Vol. III. Cap. V. Obs. IX. pag. 443.

ſi non cedat herpes, ad oleum antimonii transeundum eſt.

476. Ulcus enim cutis forſan nullum eſt, ut ut moleſtum, quod hoc remedio non ſiccetur; & maxime anteponendum eſt arſenici oleo vel auripigmento, quae ſua acrimonia calorem ulceris adaugent, neque tam cito ut antimonium, ad cicatricem perducunt *a*).

477. Alias eſtiomeni margines apparent induratae, callosae, tumidae, inflammatae, dolore ac pruritu moleſtae; & jugiter effundunt ichorem tenuem, peracrem, foetidum. . . . Porro his in circumſtantiis patet exſiccantia [§. 483] protinus adhibita valde noxia eſſe reputanda, niſi ſpasmo conſtrictae prius laxatae fuerint fibrae, ſcarificationibus &c. extenuatae ulceris margines, ac interna cura praemiſſa fuerit.

478. Praeſtat in his circumſtantiis ulcus aquis agrimoniae, fumariae, &c. abſtergére; ſpongia ſiccare; ſolani ſucco aliisve narcoticis dolores lenire; vel unguento albo Rhazis ſenſim exſiccare; tumidas partes reſolventibus expedire; varicoſas ſcarificationibus deſtruere; pruritum demulcentibus retundere, &c. (quam acria medicamina ad uſum vocare *b*); vel deſtructas partes praecipitato rubro abſumere; & Arcaei balſamo ad cicatricem ducere.

479. Haec nihilominus annotanda ſunt: cauſticorum uſum frequentius repetitum aut diu productum nocere; his inflammationes ulceris & dolores exaſperari; noxias topicorum particulas in corporis penetralia non raro fluere, prioribusque graviores concitare morbos. . . Mercurialibus ulcera nonnunquam ſanari; ſed niſi maxima interni regiminis interim habeatur ratio,

I 5 peri-

a) Euſebe Renaudot, *l' Antimoine triomphant*, p. 133.
b) P. POTERIUS, Cent. II. Cap. I. pag. 5. HILDANUS, &c.

periculoſa quandoque ſubſequi ſymptomata *a*)... Valde ſiccantia & vehementiora ſtyptica humidis herpetibus non eſſe applicanda... Scrophuloſos herpetes & eſtiomenos cum nodulis & callis, adſtringentibus non eſſe tractandos... Ulcera herpetica licet ab aeris injuriis [§. 10] caute ſint defendenda, unguentis tamen minus feliciter obtegi... linteis carptis idoneo liquore irroratis majori cum emolumento velari, quae perſpirationem ichoris herpetici minus impediunt... medicamina quaelibet ſollicite renovanda eſſe, maximeque cavendum, ne, dum ſuas virtutes exerunt, majus, quam par eſſe debet, incendium vel frigus excitent; vel majorem congerant ichoris in ulcus affluentis copiam; aut ichorem in corporis penetralia repellant.

480. Cum vero fruſtra tentatis quibuslibet auxiliis herpes nihilominus in latum vel altum indeſinenter expatiatur, validioribus cauſticis, ad inſtar Veterum, cura tentatur. Ad hunc finem vocantur cauteria quibus herpetes immediate vel eminus exſiccari poſſunt.

481. *Immediate*, cum cauteriis actualibus tractatur ulcus herpeticum, ichor abſumitur, vaſorum lique- & putre-factorum ſordes exeduntur, calcinantur ulceris recrementa; dum interea margines obfirmantur, & ad cicatricem facilius perducuntur.

482. Hanc methodum (licet plurimis aegrotantibus horrenda videatur) longe caeteris efficaciorem obſervatio docuit; qua Veteres imprimis utebantur, cum ulcera magis in altum quam ad ſuperficiem corporis expatiantur [§. 97, 98].

483. Citius igitur ac tutius ferro candenti ſanantur eſtiomeni; qui non ſolam cutem, ſed partes ſubcutaneas & oſſa ipſa exedunt.

484.

a) Hildanus, oper. med. ad M. Doring. reſp. p. 914.

484. Cum vero magis ad ſuperficiem corporis vergebant ulcera, alius erat cauſticorum adminiſtrandorum modus... Nunc etenim ope tenuatae farinae vel pulveris aſpergebantur eſtiomeni; impoſitus pulvis pyrius accendebatur; & experimento bis terve repetito curabantur... Idem ſucceſſus nonnunquam obtinebatur accenſo impoſito linteo vini ſpiritu impregnato. ... Alias radiis ſolaribus vitro collectis ulcera tractabant.

485. Quod ſi pertinax eſtiomenus his remediis obſurdeſceret, & de luis alicujus potiſſimum venereae praeſentia ſuſpicio daretur; ignis vires ope medicaminum ingeminabant. Linteum impraegnabatur hydrargyro; ulceri applicabatur; illi alterum ſuperponebatur vini ſpiritu madidum; hoc accenſo hydrargyrum circa vicinias ulceris ubertim diffluebat; & experimentum rurſus tentabatur donec exſiccaretur ulcus....

486. Verum antequam ad cauteria deveniamus, corpus erpurgari, ſuiſque ſordibus vindicari neceſſum eſt; ſecus prout cacochymicis frequenter accidit, combuſtio procul dubio degeneraret in ulcus foetidiſſimum, malignumque adeo ut gangraena & mors nonnunquam ſubſequantur *a*).

487. Herpetes, qui cancri naturam redolent [§. 98]; nec in carnibus, verum in tela ſubcutanea & ſpongioſis partibus inſident, minus rite cauſticis tractantur; verum ſcalpello feliciter eradicantur; ita ut ferro exciſi herpetes nunquam redierint; ut pars eſtiomeno tentata & reſecta convaluerit; ut altera ſibi relicta, non minus (prout obſervavit SEVERINUS) moleſta remanſerit; adeoque contra ſententiam HIPPOCRATIS hic optimum ac ultimum remedium in ulceris eradicatione ferrum ſecans igni ſit anteponendum.

488.

a). KLEINIUS, de morb. exit. & praeſag. de ulcer. &c.

488 Ad margines eſtiomenorum qui cito & latius expatiantur [§. 72, 80], diſponantur (cum ſanguiſugis vel ſcarificationibus malum coerceri nequit) lapides cauſtici in cutem ſanam ad inſtar cinguli, ut eſchara profunda fiat, & ſic excitata ſuppuratione omnis humorum ad partem herpete laborantem confluentium aditus praecludatur *a*).

489. In diſſitis ab ulcere herpetico locis excitentur fonticuli, ut ſenſim divertatur ichor, ac ejus in ulcera fluxus imminuatur; vel ut, dum topicis exſiccatur herpes, ichori reſiduo fonticulorum ope ſuppeditetur exitus; aut ſenſim vacuetur ductus ad cutem defluxionum catarrhalium, rheumaticarum, arthriticarum, ſcrophuloſarumve fomes.

490. In defluxionibus in quibus excrementorum confluxus magis ad ſuperficiem corporis vergit, advocentur ſynapiſmi, praecipue cantharides. His enim etiam ad puſtulas pertinaces, herpetes ſquamoſos & miliares inveteratos applicatis, malum longe citius ac tutius, ut obſervatio docuit, eradicatur.

491. Praeterea notandum eſt in retroactis herpetibus lentius agere cauteria; minorem humorum copiam elicere, veſicantibus vero citius ac potentius attrahi materiem retroactam; ſolidorum magis vires acui; humores vehementius agitari, recrementa uberius diſſipari; caeterum cantharidibus longe efficaciorem eſſe ranunculum pratenſem *b*); hujus tamen uſum eſſe minus tutum in ſcorbuticis & cacochymicis corporibus.

a) Tract. pathol. de morb. cut. Cap. XVI. pag. 285.
b) Cheſneau, Obſ. medic. Cap. I. pag. 12. Störck, Haenius &c.

CAPUT

CAPUT V.

De speciali herpetum curatione.

SECTIO I.

De Herpetum prophylaxi.

492. Alia in praecavendis, alia in eradicandis, alia in refringendis herpetibus instituitur curatio.

493. Averti nequeunt herpetes, quin humorum ac solidorum vitia sive congenita sive adventitia prorsus deleantur. Hoc autem obtineri nequit, quin sua singulis herpetum causis opponantur repagula. Hujus curationis labor equidem arduus est; verum hoc parta eo major utilitas manet humanum genus, Medicos gloria.

493. Dum enim ita mutatur constitutio corporis, ut ab herpete vindicetur homo; non solum abiguntur herpetici virus seminia; sed ipsa obfirmatur sanitas vel ichore herpetico, vel solidorum ac fluidorum vitiis, vel organi cujuslibet aut visceris affectione, vel morbis utrinque scaturientibus alioqui conturbanda.

495. Teneri autem vel puberis constitutio facilius immutari potest, quam adulti aut senis. Ideo primis ab incunabulis vita sic est moderanda, ut singulis diebus deteratur aliquid de causis herpeti concitando magis idoneis. Opportunae huic scopo cautelae aliae cutem, aliae viscera praecipue spectant.

496. Pueri maternis e visceribus exeuntis cutis obducitur muco, quo glutinis ad instar obstipata spiracula, suos illam inter & epidermidem effundunt humores; vesicasque & pustulas, ni gluten abradatur, excitant. Balneorum usus [§. 449, 450] hic imprimis

op-

opportunus eſt, quibus abſterſa cute recrementa facilius & uberius exhalentur.

497. Praeterea crebris induſiorum mutationibus munda ſerventur corpora. Talis cautela pueris idonea non ſolum videtur, ſed iis omnibus quorum cutis facile ſudoribus extillat; quique ideo immunditiei noxas eo facilius comparant, quo diutius linteis foeda ſudoris illuvie conſpurcatis veſtitum fuerit illorum corpus.

498. Balnea [§. 472] in cacochymicis vel ſcorbuticis ſemel in menſe, ſaepius rariusve, prout iisdem opus fuerit, ad uſum vocentur.

499. Interim in frigidam ſinceram die qualibet ſani mergantur infantes, donec eum vigoris adipiſcantur gradum, in quo nec rigidiores fibrae, neque craſſiora reddantur fluida.

500. Hac arte valetudo non parum firmatur in aetate puerili in qua reſecandi ſunt capilli, ut facilius exhaletur unguen cutaneum [§. 19, 20] & achoribus, tineae, caeteriſque pruriginoſis affectibus, quibus non raro foedatur puerorum occipitium, opponantur repagula.

501. Acida vel glutinoſa ſaburra ſaepe ſcatet puerorum ventriculus. Hanc declarant acidus ex ore vel cute manans odor; acidi ructus; tormina, feces albicantes, glutinoſae, coactae, cutis flavedo, &c. . . . . . Cum ad humorum oceanum demigrat, non raro parit infarctus, ſtrumas, &c. niſi vacuetur pharmacis, quorum idonea magis ſunt ſyrupus fumariae, cichorei, rhabarbarum, &c. quae, pro re nata, variis temporibus repetuntur, donec ſenſim roborato ſtomacho ſingulae corporis actiones revireſcant.

502. Hinc tum ita vitantur herpetes, una praecaventur ſtrumae, vermes, icterus, motus convulſivi & cae-

caeterae magis familiares infantibus aegritudines ex hoc fonte saepius oriundae; neque timentur effectus fibrae debilis & laxae *a*), quam pro certo sensim inducit perpetuum acidae colluviei ex alimentario tubo singulas corporis partes indesinenter appellentis stillicidium.

503. Dum hac arte servatur digestionum integritas; puero conceduntur alimenta, quae ferat ejusdem ventriculus; difficilis concoctionis annuuntur robustis; lac vero, gelatinae, &c. delicatulis.

504. Quod si viscera pueri minus rite constituta videantur, & laesione functionum dignoscatur affectus; severum imperatur vitae regimen; differtur medela, quoniam medicamina vix ferre valet aetas tenella; fonticulis educuntur humores; nutrix caeteroqui sana medicatur aperientibus, si fuerit obstructus puer; mercurialibus, &c. parca dosi concessis, si fuerit venerea vel scrophulosa labe tinctus, donec fibrae validiores factae, & viscera magis firma, pharmaca vehementiora & majori copia non reformident.

505. Cum ex pueritia ad adolescentiam transcendimus; insignes in toto corpore fiunt mutationes; & excrementa aetate puerili congesta adauctis circa pubertatem vitae viribus non raro rejiciuntur in cutem. Cum autem *hujus opportunitatis*, ut ait PROCOPIUS, *momenta redire nequeant, qua elapsa fit inclinatio vel ad deterius, vel ad mortem;* hinc est quod circa pubertatem ingerenda sint medicamina, quae morbi fomitem vel alterare vel eliminare valeant.

506. Cum ob languorem stomachi pravae sunt digestiones, catharcticis educuntur vere imprimis ac autumno [§. 341] feces alvinae: *stomachicorum prorogatur usus* donec alimenta probe concoqui valeant.

507.

a) V. Van-Swieten. Comment. in Boerh. aph. de fibr. lax. & debil. Tom. I. variis locis.

507. Ex alimentis ea potiſſimum eligenda ſunt, quae nutrimini fibrarum magis conferant [§. 341]; facilius in ventriculo coquantur; citam in vaſis rubris experiantur mutationem, & quorum feces per varia corporis emunctoria citius eliminentur; *eorum enim quae celeriter alunt, celeres etiam fiunt excretiones.*

508. Corporis exercitio dein firmantur fibrae; difficilis ac tandem difficilioris concoctionis alimenta ſuppeditantur; nec medela rurſum tentatur, niſi cum aeger imperfecto artis molimine fuit incaſſum exagitatus.

509. Tum vitio ſtomachi ſaepius adduntur viſcerum infarctus obſtructionesve; & cachexiae vel ſcorbuti (unde ſaepe fluunt ulcera cutanea) jam apparent rudimenta. Verum cuilibet aegritudini & hominis temperiei magis idonea uſurpentur medicamina.

501. Porro in bilioſis ac caeteris firma corporis conſtitutione donatis, humorum acrimoniam vel ſpiſſitudinem retundunt diluentia, ſerum lactis, diuretica, alkalina, nec tamen acriora [§. 378, 380]; copioſi potus, non ſpirituoſi, ſed aciduli; alimenta acidis impraegnata, blanda, non acria; non aromatica. Corporis & animi pax & requies, aer humidus & craſſus, &c. &c. etiam conferunt.

511. In infarctis hominibus primum expurgetur alimentaria fiſtula; diureticis [§. 378], ſudificis [§. 387] educantur humores; diaeta ſit ſicca cum pane biſcocto; nec omittantur corporis exercitia vel frictiones [§. 348, 349]; interjectis ad aeris, alimentorum, medicaminisve, vel horum omnium mutationem, catharcticis modo caſus poſtulaverit.

512. In pituitoſis craſſisque corporibus ſanguinis & humorum lentore gravatis, in ſcorbutum, cacochymiamve jam inclinantibus; nec obſtructis; praedictis medi-

medicaminibus [§. 520] addantur paulo acriora & validiora [§. 378, 380, 487] viperae pulveres, ari radices, guaiaci decocta, & similia.

513. In obstructis vero, emeticis desecentur abdominis viscera *a*); diluentibus, quae nihilominus ferat aegri temperies [§. 403], addantur succi plantarum aperientium, salia lixiviosa, terra foliata, quam in obstructionibus, maxime jecoris, merito laudat HUXHAMUS, scillae pulveres, variaque ejus praeparata; ferrum, aquae minerales ferrugineae; a veteribus adeo celebrata corporis exercitia; dum interea medela magis inclinatur versus amara, cum ex imbecillitate ventriculi scaturiit digestionum depravatio; vel tonica, cum inertia vasorum obstructionibus viscerum dedit originem.

514. Cum humorum spissitudo minus quam acrimonia [§. 147, 148, 158, 160] est retundenda; prae caeteris ingerantur serum lactis [§. 354], lac, jusculа ranarum, limacis, viperae [§. 358]; aeger indulgeat quieti [§. 350]; sit humidus aer [§. 352].

515, Cum aliqua defluxione tentantur viscera, praecipue pulmones; magis opportuna morbo expugnando, & visceri seligantur medicamina; vesicantibus; ranunculo imprimis cito trahatur in extremos artus ichorosa colluvies; sudificis, diureticis, catharticisve absolvatur curatio.

516.

a) Vidi stupendos emeticorum in morbis inveteratis effectus; strumas ipsas prodigiosae magnitudinis, insidentes in collo, in quo medicaminis effectus vix sperari poterant; ab emesi 40. horarum spatio evidenter imminutas, &c . . . quid igitur in internis obstructionibus potissimum abdominalibus non praestaret frequens emeticorum usus?

516. Cum humorum acrimonia colliquatione ſtipatur; acria, purgantia (niſi maxime neceſſaria ſint), calida, aromatica, thermae calidae &c. ſcrupuloſe vitentur: procul amoveantur ſinapiſata ... cremores hordei; otizae, &c. varia praeparata, ſerum lactis, acidis vegetalibus mineralibusve impraegnata ſumantur: vini potus; panis biſcoctus; ſaccharata; moderata corporis exercitia, ſiccus & moderate calidus aer placeant.

517. Cute ſenilibus obſtipata rugis, recrementa craſſiora, quam ut cutaneis porulis eliminari valeant, in corporis penetralia ſaepe corrivantur, & muriaticam acrimoniam excitant. Diluentia ſalibus alkalinis impraegnata his in circumſtantiis maxime proficiunt. Verum diuretica & cathartica viciſſim uſurpentur, prout humoris excretio verſus inteſtina vel urinarios ductus magis propendere videtur. Dein ad vinum & aromatica, quibus vires aegrotantium erigantur, fiat tranſitus.

518. Cum recrementa corporis ad evacuationem parata febriles inter motus [§. 161, 162, 163 &c.] in varia corporis organa rejiciuntur; illa, cum ſtimulis indiget Natura, quo haec vergit, eo ducenda ſunt. Varia tunc pro febris genio & humoris in hoc vel illud organum transmiſſione vel decubitu ſunt advocanda medicamina ... videlicet in febribus meſentericis: putrida colluvies per univerſum abdomen ſparſa vel funeſtas viſceribus abdominalibus infert ſtrages; vel in thoracem cerebrumve rapitur; vel in cutem irrumpit, & miliares, herpeticas, &c. puſtulas excitat; niſi, prout nos monet BAGLIVIUS, fotibus, enematibus, diluentibus praeparata ſenſim pharmacis eliminetur: corporis penetralibus impacta recrementorum moles.

519. In aliis febribus *depuratoriis*, quoties humores ad corporis ambitum ubertim irrumpunt [§. 162]; bal-

balneis, fotibus, primum relaxetur cutis; dein diluentia, aromatica leviora, potus theae, saccharata, &c. tepidis liquoribus soluta prae caeteris usurpentur; aer frigidus & frigida quaelibet caute vitentur; calor tamen ac febris *justo in moderamine* serventur.

520. Declinantibus febribus continuis aut variolis [§. 163]. cum languet despumationis opera; secundariae febris effectus catharticorum, sudificorum vel diureticorum ope, quoties Natura nequit incoeptae criseos opus perficere, sedulo praecaveantur.

521. Eaedem observentur cautelae in catarrhalibus defluxionibus; diluatur acrium succorum colluvies; emeticis vel catharticis educatur, cum illa foedatas esse primas vias demonstrant symptomata [§. 360]; vel diureticis, diaphoreticisve tenuetur & evacuetur, cum totum corpus obsidet, aut ab impedita perspiratione morbus ortum duxit.

522. In rheumatismis *humoralibus*, quibus tentantur cacochymici, ypecacuanha, &c. ejusmodi expediantur abdominalia viscera; in pituitosis & crassis, variis attenuantibus, aro, scilla imprimis &c. sensim alteretur morbi fomes; diureticis actuosis, sinapisatis medicaminibus evacuetur; his utamur maxime cum humoribus turgent thoracis organa; . . . vesicantibus distrahantur lymphatici liquores; victus sit calidus, aromaticus; aer siccus; anima hilaris . . . antispasmodica subjungantur, si nativo major erethismus, vel nimia fibrarum irritabilitas recrementorum in corpora congestioni locum dederint [§. 258].

523. Arthriticos precipue senes optimo tueamur vitae regimine; siccos & biliosos diluentibus humectemus; crassorum & pituitosorum vires diaeta sicca erigamus; stomacho languidos vino generoso modice sumpto reficiamus; obstructos & debiliores amaris & appe-

rientibus tonicis relevemus; in iis qui ſpirituoſis abuſi ſunt, ſpirituoſa ſenſim ſubducamus; viſcera reſtauremus; fluida coacta paulatim reſolvamus; in omni tamen circumſtantia ſuus HIPPOCRATIS effato ſit honos, quo monemur ſubitam quamcumque mutationem eſſe pernicioſam.

524. Quod ſi tempeſtive advocata medicamina morbis abigendis imparia videantur, mercurialia cum antimonialibus maritata ſubſtituantur imprimis ubi conſtat, arthritidem, rheumatiſmum vel pertinaces in pulmones aut alia viſcera defluxiones ex lue venerea ſoboleſcere [§. 219].

525. Quae ſilent in plethoricis haemorrhoides [§. 171] fotu tepido vel aquae bullientis halitu ſuſcitentur; aut hirudinibus exſugatur ſanguis. In cacochymicis vero in quibus illae raro fluunt, quaeque magis ab obſtructione viſcerum & alimentariae fiſtulae ſaburra oriuntur; mercurialibus, reſinoſis purgentur aegri: amaris reſtauretur ſtomachus, ingerantur tonica, aperientia; corporis exercitio vires erigantur; &c.

526. In mulieribus, in quibus herpes menſtruorum vicarius eſſe poteſt [§. 172], cum juvenes ſunt, nec inveteratum uteri vitium; fotibus, ſemicupiis verſus uterum ducantur humores; aperientibus, Aethiope minerali, croco metallorum aliisve emmenagogis aegrotantium temperamento magis congruentibus eliciantur menſtrua.

527. In partu defunctis lochia foveantur diluentibus in ſicca muliere; cardiacis, ubi languent aegrotantium vires; aer frigidus, gelida quaelibet, & animi pathemata [§. 156] potiſſimum vitentur.

528. Diaeta ſit ſevera; ingerantur levia ſudifica vel diuretica; lac matris exſugat infans [§. 174], ut la-

lacteae febris & metastasis periculosi praecaveantur effectus.

529. Ut imminens ex ulcerum suppressione periculum vitemus; balneis, fotibus, fumigationibus [§. 450, 465] laxetur pars nuper affecta; cucurbitulis [§. 447] revocetur humor [§. 115]; scarificationibus vel hirudinibus educatur [§. 442, 446]; vesicantibus distrahatur e praecordiis [§. 500]; interea, praecipue cum jam in visceribus decumbit, cardiacis erigantur vires; & per cutem, intestina vel urinarios canales ducatur, prout in hoc illudve viscus, cujus emunctoriis evacuari potest, fuit translatus.

530. Praecavemus herpetes a vermibus oriundos [§. 189], purgantibus, incidentibus, pituitosam glutinosamque saburram attenuantibus [§. 378, 380]; cutis munditie; mercurialibus illinitionibus: vel balneis ex quercus foliis, quorum praestantissimos quibusdam in circumstantiis effectus observatio docuit *a*).

531. Cum cutaceus est herpes [§. 317], haud aegre praecavetur, dum causae cuilibet sua opponuntur repagula.

532. Morbi ex retropulsione virus oriundi feliciter avertuntur victu blando, tenui, aromatico; diureticis, sudificis, catharticis, aperientibusve, &c. quae magis congruunt affectuum genio, aegrotantium temperiei, &c.; non advocentur, nisi praeparato corpore, pharmaca; instituatur recta & severa *sex nonnaturalium* administratio; & sui cuilibet causae herpetum retropulsionis opponantur obices [§. 193, 194].

533. Cautelae praedictae & indicata remedia praecavendis herpetibus idonea in curatione variarum herpetis specierum non raro locum habere videntur. Ordo nunc postulat, ut cuilibet herpeti curando utilio-

a) Joel, praxeos, Lib. X. Sect. III. §. II. pag. 558.

liora, atque a Clinicis maxime celebrata medicamina referamus.

SECTIO II.

De curatione Herpetum particulari.

534. Herpes furfuraceus summa cutis teneritate [§. 6] vel exsiccatione vel qualibet externa causa [§. 188, 190] excitatus, spreto regimine interno, saliva [§. 268] vel hydraeleo vel balneis [§. 475] facile sanatur.

535. Cum crebro resurgit [§. 54]. vel cuti pertinaciter haeret [§. 55], vel serpit [§. 269] prout in siccis & calida temperie donatis hominibus frequenter evenit; dum externa cura tentatur [§. 544], interna diluentibus [§. 343], sero lactis [§. 354] large hausto [§. 355], nitratis, alkalinis [§. 378] & caeteris hujusmodi medicaminibus humorum acrimoniam spissitudinemve retundentibus, absolvitur. Vitentur interea siccantia quaelibet *a*), aer siccus, valida corporis exercitia, spirituosi liquores, cibi peracres, aromatici, &c.

536. Cum acrimoniae humorum jungitur nimius corporis ardor, praeter assignata medicamina victus sit humidus: ingerantur lacticinia, juscula ranarum, limacis, viperarum [§. 358].

537. Cum inveteratus est herpes vel serpit, granulis obsita videtur cutis, & obstructa sunt corpora; expurgetur alimentaria fistula [§. 361] mercurialibus cum resinosis [§. 366], succis depuratis, catholico, &c. [§. 368]... praedictis medicaminibus [§. 545, 546] incassum tentatis addantur hydrargyrosa ... in cacochymicis, senio vel debili corporis constitutione affectis digestiones & vires vino, amaris, &c. restituantur...

a) Godefridi Steeghii, Consil. pract. Lib. XI. Cap. II. de furfur. pag. 442. Capivacius, pract. Lib. I. Cap. V. pag. 465.

tur . . . in obſtructis; aperientibus, ferrugineis tollantur infarctus.

538. Cum in cute capillata ſuam ſedem obtinet herpes furfuraceus, & remediis indocilem ſe praebet, excidantur barba vel capilli; althaeae, rapae & betae foliorum decoctis foveatur cutis; dein oleo amararum amygdalarum *a*) &, ſi his non cedat morbus, hydrargyroſis inungatur.

539. Abraſis furfuribus & ſanata cute, locus roboretur decoctis myrthi foliorum, oleae ſylveſtris, ſalicis, agrimoniae, ulmi, &c. *b*) . . . vitae regimen [§. 373] identidem obſervetur, ne reſurgat herpes.

540. Herpes ſquamoſus recens, in puris corporibus, quique ſuam ſedem in glabris cutis partibus obtinet, vel a cauſa externa ortum duxit, externam tantum exigit curationem. Verum, ut demulceatur pruritus, imminuatur cutis ardor; fotu tepido [§. 453, 465] vel balneis vel fumigationibus laxari debet pars affecta; vel oleoſis obtundenda ſunt ichoris herpetici ſalium ſpicula [§. 138].

541. Oleum amygdalarum extrinſecus applicatum cutis ardorem temperat; minuendo perſpirationem humectat cutem; ichorem obtundit; & valde proficit in herpete ſquamoſo ſicco [§. 61] cum cutaceus eſt [§. 318, 282].

542. In ejuſmodi cutis defoedationibus olim ex uſu erat ſanguis humanus *c*) cujus vices optimo cum ſucceſſu geſſit leporinus *d*).

K 4 543.

a) Mercurialis, de morb. cut. Cap. VII. pag. 33.

b) VIGIER, *Traité des tum. malad. de la tête* Chap. IV. pag. 496, 497.

c) TH. BARTHOLINUS, act. med. HAFFNIENS. Vol. I. Part. II. pag. 306.

d) Cum herpes ſquamoſus totum ferme corpus occupat, ſanguinem leporinum laudat BLANCARD. inſtit. chirurg. Cap. XVII. pag. 458.

543. Cum humidi ſunt herpetes ſquamoſi [§. 58], cutis feliciter inungitur oleo, ſalibus alkalinis volatilibus impraegnato. Herpetem ſquamoſum cum achoribus quibus incaſſum applicata fuerant varia remedia, praemiſſo cathartico, linimento ex oleo in quo bullierat rana terreſtris, feliciter curavit BARICELLUS *a*).

544. Ex variis medicaminibus huic [§. 551] herpeti debellando idoneis [§. 550. 551] nullum praedictis efficacius datur topicum. Cutem enim abſtergit; ichorem obtundit; inſpiſſatos humores attenuat; cutis fervorem, calorem, ruborem, pruritum imminuit, &c. talia maxime praeſtat ricini ſanguis quo illinitus herpes ſquamoſus humidus mitifigatus & perſanatus poſtea nunquam recruduit *b*).

545. Cum herpes ſquamoſus in cute capillata ſuam ſedem obtinet & humidus eſt, cito ſanatur decoctis rubi, vitis foliorum chamemeli; nec reſurgit, niſi cum in ſaburratis potiſſimum, pharmacis expurgatum non fuit corpus. Illis enim abſterſo capite; facile, prout obſervavimus, abigitur.

546. Quod ſi herpes ſquamoſus multo madeat ichore [§. 59]; ſulphur [§. 412] & adſtringentia quaelibet [§. 428] ſedulo vitentur; ne, prout evenire vidit TRINCAVELLIUS *c*), ichor in organa nobiliora retroagatur.

547. Hic imprimis opportuna ſunt medicamina, quae cutem [§. 422] ſiccant, nec tamen humores verſus corporis penetralia repellunt. Tabaci cinerum lixivio vel fumigationibus caput humida porrigine ſeu herpete ſquamoſo humido tractabat NEANDER *d*) . . .

con-

a) V. T. BURNETUM, med. prax. de achor. pag. 12. AETIUM, retrab. IV. ſerm. I. pag. 759. & ſeq.
b) A. Luſit. cur. med. Cent. VII. curat. XX. pag. 711.
c) Conſ. med. Lib. III. Conſ. CXIX. columm. 689.
d) Tabacolog. fol. 82.

contra psoras humidas, lichenes fetidos, cadmiam vino & oleo tritam feliciter experiebatur AETIUS *a*).

548. His incassum tentatis, ad sicciora confugiendum... Mulier, frustra vocatis aliis medicaminibus, carbones fabriles pulverisatos butyro & pice navali excipiebat, & herpetem squamosum feliciter inungebat *b*). Tale medicamentum aliorum experimentis comprobatum *c*), infirmius experimento JOELIS [§. 467] observatio docuit.

548. Quidam herpetem squamosum humidum decoctis fumariae & lapathi abstergunt, dein unguenta ex auro, argento, tutia & plumbo feliciter insumunt *d*): unguentum de plumbo in Monacho absolvit lichenis humidi curationem *e*).

550. Aliis arrident aquae sulphureae, praecipue thermae bollenses, quae cutis perspirationem fovent, vasa cutanea reserant, expediunt, roborant ac humorum ad affectam partem impetum praepediunt.

551. Cum pruritus acerbior est, corpora feliciter immerguntur in frigidam marinam *f*): vel affectus locus cum aceto & saccharo, vel gummis pruni, cerasi &c. cum levamine abluitur. Hoc remedio potissimum utimur, ubi herpes squamosus in genitalibus suam sedem obtinet. *Pruritus salsos*, inquit SERENUS *g*) *levat humor aceti*; cujus repetito cum saccharatis usu plures

K 5 (ubi

a) Tetrab. IV. Serm. I. Cap. CXXVII. pag. 743.
b) P. FORESTUS, obs. chir. Lib. II. Obs. XIII. p. 35.
c) *Livre premier des Observ. chir.* Obs. XX. pag. 45.
d) J. de VIGO, chir. part. Lib. IV. Cap. 14. fol. 193.
e) Amat. Lusitanus, cur. med. Cent. II. Curat. XXXV. pag. 183.
f) FALLOPIUS, refer. TRINCAVELLIO conf. med. Lib. III. Conf. CXIX. fol. 688.
g) SERENUS SAMONICUS, praecept. salub. de prurig. Cap. VI.

(ubi malum erat tantummodo cutaceum) ſanatos fuiſſe novimus.

552. Halitus aceti calorem cutis adauget, compacta ſolvit recrementa, perſpirationem potenter movet, cutis ruborem evehit, & congeſtos in herpetem ſquamoſum humores ubertim eliminat .... eadem ferme praeſtat muria aliorum experimentis & uſu, comprobata *a*).

553. Cum herpes ſquamoſus his remediis obſurdeſcit; locus affectus ſcarificetur [§. 442] (in delicatulis admoveantur hirudines); dein abſtergentibus foveatur & paulo validioribus [§. 559] exſiccetur.

554. Cum omnia tentamina minus rite ſuccedunt, vel pertinax eſt herpes, vel reſurgit, vel in vicinias, prout aliquoties evenit, expanditur; veſicatorio, modo ferat cutis regio, herpes ulceretur; hoc enim tuto, citoque [§. 500] ſubducuntur ichores, expeditur tela ſubcutanea; ſiccatur ulcus; nec recidivae periculum imminet.

555. Qui herpes ſquamoſus devicto viru venereo ſupereſt, mercurialibus inunctionibus tractetur *b*) cum nondum penitus deletum eſt: hauriatur ſublimatum corroſivum, cujus uſu, qui caeteris remediis obſurduerunt, vulgo ſanantur herpetes *c*).

556. Cum herpes immediate a lue venerea ſoboleſcit, hydrargyroſis tractetur. Si herpete jam foedatum lue venerea poſtea conſpurcetur, propria utrique affectioni ſubſidia ſeligantur; vitentur extrinſecus ulceri ap-

a) TRALLIANUS, Tom. I. Lib. I. Cap. IV. pag. 9.

b) ASTRUC. *Traiti des tum.* Tom. I. Lib. I. Chap. II. pag. 282.

c) FABRE, *Traite des malad. vénérien.* Tom. II. Chap. XVIII. pag. 410.

applicata hydrargyrosa, ne venereus ichor in organa nobiliora dilabatur *a*).

557. In impuris & cacochymicis corporibus pharmacis expurgetur alimentaria fistula: verum importuno purgantium usu ne fatigentur aegri, maxime caveamus; secus, prout in siccis hominibus frequenter evenit, morbus incresceret. . . Vidit HOFFMANNUS corporis ardorem cum destitutione appetitus & somni, maxima pulsuum debilitate & exilitate in aegro, in quo scabies evanuerat postquam alvus immoderate subducta fuisset *b*).

558. In obstructis aegrotantibus, aperientium usus [§. 547] prorogetur & defecetur corpus antequam ad topica deveniamus. Cum adsunt corporis ardor & humorum acrimonia, vitae regimen [§. 545] observetur: in crassis & pinguedinosis, pituitosisque diuretica [§. 370], attenuantia, purgantibus interjectis, usurpentur.

559. Inter ea merito celebrantur ulmi decocta [§. 389] . . . variis frustra tentatis, decocto cynarae radicis eradicatus nunquam rediit herpes squamosus humidus *c*). Artis Magistros & JULIUM CAESAREM CLAUDINUM nunquam in eodem affectu fefellit pilosellae decoctum quadraginta dies epotum *d*).

560, Cum lue venerea tentantur aegri & hydrargyrosis impraegnatum fuit corpus; guaiaci decoctis, sassaparilla, kina, &c. herpetes squamosi superstites facile vincuntur; topicis [§. 559] suo tempore advocatis.

561. Cum incassum tentantur sudifica [§. 570], ad hydrargyrosa recurrendum *e*) his addantur antimonialia cum vitium visceribus haeret pertinaciter.

562.

a) MERCATUS, oper. med. Tom. II. de morb. gallic. Lib. II. Cap. I. pag. 652.
b) F. HOFFMANN. oper. med. Vol. III. Cap. V. Obs. II. pag. 183.
c) A. Lusit. cur. med. Cent. II. Cur. XXXV. pag. 183.
d) J. C. CLAUDIN. consult. med. Consf. XLVII. p. 111.
e) BLANCARD. instit. chirur. Chap. XVII. pag. 451.

562. Praedictis medicaminibus annuitur locus, cum vires nondum collapsae sunt, nec ulceribus exesi pulmones aut alia viscera, vel aegrotantes marosmo confecti.

563. His in circumstantiis *nutritoria* ex vitulo, pullove, guaiaco saginatis; vel diaeta ex infusis kinae, sarsae & guaiaci cum nitrosis, potius quam evacuantia *experimento fidissimo* fretus laudat MERCATUS *a*).

564. In siccioribus tamen corporibus guaiacum, &c. ejusmodi sunt acriora, & saepe morbum & pruritus adaugent. Verum guaiaci viribus maxime supplere potest buxus, cujus ope, dum sudores eliciuntur, viscera minori flagrant incendio, nec minus feliciter abigitur lues venerea *b*).

565. Interea scrupulosa vitae regiminis habeatur ratio; & cautelae observentur a Veteribus, Aetio imprimis adeo celebratae *c*): „ab alvi subductione concitatiori gressu aeger ambulet; vel aliquo gestationis „genere utatur; potum convenientem [5. 568, 569, „570, 571, 573] sorbeat; exerceatur deterso sudore; „oleo illiniatur; natet in mare; victus sit blandus & „dulcis; a balneo sponte vomat multa aqua tepida, vel „digiti mittantur in fauces, si id nequeat facere; vitetur somnus diurnus: exercitatio a prandio; caena imprimis differatur: maxime matutinae studendum; &c." quae quidem opportuna reputari debent in inveteratis ac pertinacibus herpetibus squamosis.

576. Defecato corpore, & incassum tentatis topicis, cum vesicantia ad herpetem squamosum admoveri ne-

a) L. MERCATUS, oper. med. Tom. II. de morb. gallic. Lib. II. Cap. I. pag. 653. 656.

b) Amatus Lusit. curat. med. Cent. II. Cur. XCVI. pag. 235. & Cent. III. Cur. IV. pag. 251.

c) AETIUS, tetrab. IV. Serm. I. pag. 737. & seq.

nequeunt, hic topico Miconis obtegatur: . . . Nitri rubri, thuris, aa pug. j. cantharidum purgatarum, fulphuris ignem non experti, aa pug. ij. therebinthinae liquidae pug. xx. farinae lolii fext. iij. gith. cyathi ʒ. picis crudae fext. ij. m. fiat topicum.'

567. Benignus herpes difcretus in perfecta crifi natus, vel a caufa externa, cutis immunditie &c. ortus faepe fponte ficcatur, & cruftam induit, qua decidente fanatur, omiffis medicaminibus.

568. Cum pertinacior eft, acu perforandae funt bullae fero refertae: locus decoctis agrimoniae, florum chamemeli, ebuli, &c. fovendus eft. His addatur plumbum uftum, ubi vehementius exficcandum eft.

569. Ubi cruftis obtegitur herpes, cremore vel butyro recenti vel pulpa foliorum porri fubducantur fquamae: dein locus affectus abluatur decoctis abfinthii, ariftolochiae, vel aqua calcis [§. 460]; quibus incaffum tentatis, ad flores fulphuris *a*), vel varia plumbi praeparata [§. 459], vel finapi femen tritum recens, tanquam *infallibile remedium b*) deveniamus.

570. Cum humidus eft herpes difcretus, oleofis impraegnata feliciter applicantur abforbentia [§. 471]... Ego, inquit FORESTUS *c*), in pueris herpetes in facie habentibus „cretam oleum olivarum & acetum vini, „*aa* ex omnibus accipio & inungo feliciter."

571. Cum fegnius agunt haec medicamina; urgent pruritus, cutis ardores & ichoris ftillicidium; cicerum decocto locus abluatur; *cimolia*, *cretica famiave terra*, *pompholyge* ac *fpodio*, fpuma argenti, vel ufto plumbo; cad-

a) ASTRUC. *Traité des tum.* Tom. I. Lib. II. Chap. II. pag. 287.
b) *Liv. Ier. des obferv. & cures chirurg.* Obf. XV. XVII. pag. 43, 44.
c) FORESTUS, obferv. chir. Lib. II. Obf. VII.

cadmia tenera & adiantho cum rosaceo illito discretus herpes exsiccetur *a*).

572. Cum intenduntur cutis rubor & ardor, & expatiatur macula, scarificationibus vel hirudinibus cruor educatur ad maculae margines; opportuna suo tempore advocentur topica [§. 580.]

573. Interim in corporibus cacochymicis expurgetur alimentaria fistula, sit severum vitae regimen [§. 542]; vesicantibus distrahatur in extremos artus ichorosa colluvies; in febribus catarrhalibus, &c. diuretica, sudifica, vel catharctica pro morbi genio, Naturae conatibus, aegri temperie & consuetudine, &c. usurpentur.

574. Herpes crustaceus recens & a causa externa ortus non raro sponte sanatur. Cum vero altius aut latiús expatiatur; firma corpora in aquas pluviales, medicatas cacochymica mergantur; tepido lacte foveantur pustulae; quibus maturatis, decoctis hederae, vitis, &c. abstergantur ulcuscula; & atramento sutorio, vel unguento (quod longe efficacius observatio docuit) enulato cum mercurio, vel tepido lacte sublimato corrosivo tincto tractentur.

575. Interea catharcticis aperientibusque defecentur impura corpora; vere potissimum ac autumno vitae regimen observetur; nec omittantur hydrargyrosa, modo Medico constet de luis venereae praesentia.

576. Cum Herpes miliaris pustulis sero refertis exaratur; acu pungantur vesiculae, serum exprimatur & spongia siccetur; decoctis lapathi, enulae, genistae locus affectus abluatur, his adde salia Saturni justa aquae copia extensa, sic ut nec debiliora sint, neque calorem &

a) Aetius, retrab. II. Serm. II. Caput. LXX. pag. 315.

& ardorem cutis nimium intendant; *aquave vegeto-minerali* GOULARDI *a*) identidem foveatur.

577. Herpes miliaris, cum ſponte diſrumpuntur veſiculae, & plorat ichorem, opportunis medicaminibus abſtergatur [§. 559], Mumia minerali POTERII *b*), ſublimatove corroſivo abluatur; vel chartis combuſtis & aceto temperatis obliniatur. Hoc remedium GALENO & Veteribus comprobatum *c*), unguentis quibuslibet longe praeſtantius eſt. His enim obſtipantur cutis ſpiracula, praepeditur ichoris exhalatio & herpetes miliares, cruſtacei, nedum curentur, ſaepe ſaepius exaſperantur *d*).

578. Superſtites in cute duriuſculi tumores [§. 79] fotibus meliloti, gentianae, geniſtae, vel mercurialibus inunctionibus excutiantur.

579. Quod ſi haec medicamina herpeti miliari ſanando ſint imparia, maxime convenire poteſt VIGIERI linimentum, quod ſic ſe habet: „Tartari calcinati „libram I. infunde libr. 6. aquae plantaginis; reſide„deant ſex horis, dein tranſcolentur; ſtillabit lixivium „limpidiſſimum, quod fictili novo oblito plumbo fer„vere ſinatur, donec liquore prorſus abſorpto craſſa„mentum album in fundo ſuperſit duriſſimum, quod „humido loco repoſitum in oleagineam materiem elique„ſcet.“

580. Herpes miliaris recens, contagio communicatus, vel in cute natus bonam intra criſim, in puris ho-

a) GUERIN, hujus aquae comparandae modum docet, *maladies des yeux* pag. 26.
b) P. POTERIUS, pharmacop. ſpargyric. append. p. 306.
c) Vid. N. LEONICENUM de morb. gal. fol. 115, 116. Mercurialem de morb. cutan. Cap. IX. pag. 43. &c.
d) LUD. MERCAT. de recto praeſidiorum art. med. uſu, Lib. II. Cap. VIII. pag. 239.

hominibus; designatis [§. 587, 589] medicaminibus facile curatur. Cum vero impura sunt corpora, vel aliquo viru tincta; tum priusquam ad externam deveniamus, interna cura tentanda est; emeticis, catharcticis, sudificis, diureticis &c. aegri temperiei & morbo magis accommodatis: antimonialibus addita ingerantur mercurialia; topicis tractetur herpes; & cum hac arte coerceri nequit, vel vesicatorio locus affectus ulceretur; vel scarificationibus educatur sanguis; dum interea variis auxiliis in curatione generali delineatis humores ex affecta cutis parte in remotam divertuntur ...... his irritis fumigetur herpes ope cinnabaris.

581. Hoc remedium longe tutius est Emplastris hydrargyrosis, quorum ab usu saepe resurgit herpes [§. 587] praeter venereum; adeoque spe salutis vana saepe deluduntur aegrotantes & Medici, quos taedium ab inertia medicaminis saepius invadit.

582. Herpes exedens benignus [§. 298] nonnunquam sponte sanatur. Cum vero major est cutis ardor, majores & numero plures agglomerantur pustulae & pruritus est molestus, &c. perforatis vesicis, ichor exprimendus, dein herpes decoctis ebuli, sumachi, &c. florum cum vino abluendus.

583. Cum haec medicamina segnius agunt, ad vehementiora confugiendum; inter quae longe praestantiores edit effectus aqua Saturni.

584. Cum critico motu in cutem irrumpit herpes exedens, praestat spectatorem agere, quam conatus naturae medicaminibus exturbare imo vidit SWIETENIUS *a*), varias ejusmodi cutis eruptiones tentatis plurimis non cessisse, licet purgantibus, sudificis conaretur illarum eruptionem praepaedire.

585.

a) Tom. II. pag. 72. 363. 620. & aliis locis.

585. Haec ita ſuccedunt, maxime cum herpes exedens non uno impetu [§. 300] critico febriles inter motus erumpit, quoniam ichor corporis penetralibus impactus aegre & *partitis transmiſſionibus* in cutem corrivatur, in his autem circumſtantiis valde periculoſum eſt adſtringentibus, refrigerantibus, vel ſiccantibus retroagere materiam; prout ſaepius edocuit [§. 301] obſervatio *a*).

586. Cum igitur herpes exedens eſt vere criticus [§. 395], quieſcendum; ubi criſi imperfecta [§. 296] fuit excitatus: attenuantibus, diluentibus cum aromaticis non acrioribus incidendus eſt morbi fomes; & vires erigendae, ut hac arte facta deſpumatione curatio purgantibus & topicis abſolvatur.

587. Cum vero ſymptomaticus eſt, prout initio febrium malignarum & peſtilentialium ſaepius evenit [§. 297]; graviſſimum in *mora* periculum imminet. Ideo cito citius ad medicamina confugiendum; neque dum interna ſubminiſtrantur, omittenda externa. Emeticis expurgentur abdominis viſcera; ſudificis, antiſepticis, &c. ejuſmodi medicaminibus aegrotantium febri & temperamento magis congruis defecetur corpus; interea ſcarificetur herpes exedens, cucurbitulis adducantur excrementa; veſicantibus excitentur variis in cutis regionibus ulcera, ut expediantur corporis penetralia & ad peripheriam adducti vacuentur ichores; caeterum urgentioribus ſymptomatibus ocurramus.

588. Cum ſerpit herpes exedens & in zonam expatiatur, nec tamen admodum malignus eſt [§. 303], purgato corpore, advocentur topica [§. 586].

589.

a) Eller, obſervat. de morb. praeſert. acutis, Sect. VI. pag. 157 Swietenius, &c.

589. His incaſſum tentatis, ubi reſurgit, ultra-ve progreditur, ſcarificentur illius margines; vel hirudinibus educatur ſanguis; varia ingerantur aperientia, depurantia; pharmacis expurgetur alimentaria fiſtula; topicis abſolvatur curatio.

590. Cum liveſcit aut in gangraenam degenerat locus affectus ſcarificetur; kinae decoctis vel ſpirituoſis cum camphora foveatur . . . his incaſſum tentatis ferrum candens adigatur, & ulcus haud ſecus ac cacoeticum tractetur.

591. In corporibus cacochymicis, ſcorbuticis, hypochondriacis &c. in quibus per intervalla reſurgit, ſit ſeverum vitae regimen; aperientibus, evacuantibus ſenſim defecetur corpus; neque topicis utamur, niſi prius confirmata fuerit ſanitas; imprimis autem eligantur medicamina cuilibet temperamento, aetati, &c. magis congruentia, de quibus in curatione generali ſermonem fecimus.

592. Herpes eſtiomenus qui ſuccedit ambuſtionibus, cutis excoriationi, phlyctenis, herpeti diſcreto, exedenti, miliari; & cutaceus eſt [§. 317, 318, 224]; curationem externam tantum exigit, & decoctis rubi, chamemeli florum, myrthi foliorum vulgo feliciter abluitur. Cum ſegniora ſunt ejusmodi medicamina, vino decoquantur; ſaepe renoventur; & eodem impraegnatis linteis ulcus ab aeris injuria vindicetur.

593. His incaſſum tentatis adduntur validiora, videlicet ſcoriae plumbi *a*) vel argenti ſpumae pulveres.

595. Cum ulcera magis humida videntur ac putrilaginoſa; quatuor unciae aquae calcis impraegnantur

a) Aetius tetrab. Serm. I. Cap. 128. pag. 743. P. Aegineta, Lib. IV. Cap. X. pag. 284.

tur drachma una ſublimati; atque hac mixtura illinitus herpes, paucos ut obſervavimus intra dies, exſiccatur *a*).

595. Cum eſtiomenus ex ſquamoſo ortus his remediis obſurdeſcit, veſicantibus ulcerandus eſt; ichor ex cute ulcerata & eſtiomeni vicinia ſubducendus; tum enim abſtergentia & exſiccantia cito curationem abſolvunt.

596. Cum ad nutum non ſuccedunt hujuſmodi tentamina; ſcarificatis eſtiomeni marginibus & vacuatis humoribus, rurſum applicanda ſunt eadem topica.

597. Cum obſtructa ſunt, vel morboſa corporis penetralia; major internae, quam externae curationis habeatur ratio: cito namque topica ſuum ſortiuntur effectum, ubi congruentia aegrotantis temperiei & morbo medicamina praemiſſa ſunt *b*) in epynictidibus quas experiebatur juvenis bilioſo temperamento praeditus, cum urinis tenuibus, copioſis, alvi fluxu, pruritu totius corporis, praecordiorum dolore &c.; venae ſectione, purgantibus, ſtomachicis & abſorbentibus magis quam externis medicaminibus curationem abſolvebat BALLONIUS *c*).

598. Cum impetigines, pſydracia, therminthus, ſcabies in eſtiomenum degenerant, inflammantur, dolorem excitant & ulcerantur, ſolani vel hyoſciami ſucco cum roſaceo foveantur ulcera: *ſpumae argenti* vel ſco-

 riae

a) P. PIGRAY, *chirur.* Liv. VIII. *des malad. contag.* Chap. XIII. pag. 608.

b) Vid. obſ. Amat. Luſit. Curat. med. Cent. I. Curat. XVII. pag. 33.

c) BALLONIUS, conſil. med. Tom. I. conſ. XL. pag. 135. & ſeq.

riae ferri *drachmas octo*, rutae foliorum *drachmas viginti quinque aceto dilue & rosaceo vel myrtheo excepta illine.* Hoc enim, inquit AETIUS *a)*, magno experimento nobis constat.

599. Cum humidiora sunt caeteroqui sanorum ulcera praedictis medicaminibus adduntur varia plumbi praeparata, vel sulphur ipsum [§. 412] cujus virtutes usus comprobavit *b*) & aliunde vis maligna salibus alkalinis additis efficaciter deletur *c*).

600. Cum estiomenus ex herpete squamoso neglecto ducit originem & in cute capillata suam sedem obtinet; cutis ulcerata & granulis obsita copiosos exhalat ichores, &c. abstergentia, discutientia, &c. maxime locum habent, quibus mundetur ulcus, referentur cutis vascula & glandulae, roborentur; tenuentur humores, copiosius exhalentur. Talia sunt absynthii, chamemeli, serpilli, matricariae, baccae lauri, radices ireos, condita sacculo & lixivio ligni juniperini decocta, quibus ablutum cito sanatur caput *d*).

601. Neque enim eorum sententiae suffragamur, qui capitis ulcera manantia potissimum in infantibus esse sibi relinquenda, quod eos a gravioribus aerumnis haec vindicent. Praestat, ut monet Mercurialis *e*), ejusmodi morbos ab ovo perimere (praemissis pro re nata catharticis, medicaminibus internis & severo vitae regimine): Secus in molestissimam tineam & ulcera artis aut

a) AETIUS tetrab. II. Serm. II. Cap. LXX.

b) BLANCARD. inst, chir. Cap. XXII. pag. 451. Emm. KÖNIG. descript. mater. med. off. Francof.. pag. 48.

c) Idem ibid.

d) Mart. RULANDUS, Cur. med. Cent. I. Cur. LIV.

e) HIER. MERCUR. de morb. cutan. Cap. X. pag. 44.

aut vitae viribus indomabilia degenerant; vel circa pubertatem ſanati graviſſimis viſcerum abdominis & pectoris, capitis imprimis, aegritudinibus anſam praebent vel in poſterum ſuppeditabunt.

602. His topicis curatus reſurgat eſtiomenus [§. 610], fruſtra eadem arte rurſum tentaretur, quoniam cutis vaſculorum & glandularum infarctus ſolis diſcutientibus eradicari nequeunt; fruſtra ſublimato corroſivo vel hydrargyroſis illiniretur herpes; fruſtra balnea, fotus &c. ad uſum vocarentur. Sola curationem exciſis capillis abſolvere ſolent veſicantia eſtiomeno applicata.

603. Cum tinea magis in altum expatiatur [§. 97] ſcarificentur ulceris margines, abſtergantur [§. 610], ſpongia & topicis [§. 603] exſiccentur.

604. Quidam, cum Emplaſtra fortiora &c. nihili profecere, utuntur pice navali, & farina, qua totam tineam obtegunt, humores ubertim attrahunt & caput exſiccant: aſt ejuſmodi remedium, licet cum ſucceſſu tentari poſſit *a*), maxime moleſtum eſt & aliunde pilorum radices avellit, qui poſtea ſaepe reſurgere nequeunt *b*).

605. Praeſtat in his circumſtantiis, praecipue cum in latum, altumve ſerpit tinea, & ad oſſa extenditur, ſcarificare tumidas margines; putrefactas abſtergere, ſpongia ſiccare, ferro candenti adurere; immiſſo linteo carpto ad cicatricem ducere.

606. Hoc modo ſiccari poſſunt ulcera cacoethica [§. 97] quae in aliis corporis partibus ſita ſunt; & vitantur incommoda cauſticis potentialibus inferenda 1°.

 enim

a) Brouzet, *Educat. médécin. des Enfans*, Tom. II. Chap. II. §. 1.

b) P. Pigray, *Chirurg.* Liv. VIII. Chap. XIV. p. 612.

enim unguenta acribus impraegnata ſaepe putredinem adaugent: 2°. alumen, vitriolum, ſpiritus nitri, ſal vitrioli vel ſulphuris moleſtum ſaepe dolorem inferunt; ichorem herpeticum & humores cogunt, & ſanas partes vel & infarctas, nec dum vita orbatas putrefaciunt; aliunde oſſibus non parum nocent: 3°. mercurius, arſenicum & metalla acidis praeparata totum corpus non raro ſuccutiunt: 4°. alkalia quaelibet acriora vehementius arrodunt, irritant, putredinem adaugent: 5°. horum omnium aegre, ignis effectus ac vires facile moderari poſſunt.

607. Cum aegri actualia cauteria abhorrent; ulcera Aegyptiaco tractanda ſunt; putrilaginoſa caro ſuperſtes praecipitato rubro deſtruenda; & ulcus more ſolito ad cicatricem ducendum.

608. Notandum tamen eſtiomenos qui circum articulos inſident, ſibi relinquendos eſſe; ac tantummodo ſuis ſordibus tum interno tum externo regimine expugnandos; herpetes venereos ſuis ſpecificis abigendos; ulcera narium cum oſſium ut pote minus robuſtorum carie, cauteriis actualibus non raro exaſperari, &c.

609. Herpetes, qui cancri naturam redolent, quique trans telam ſubcutaneam non expatiantur, ſcalpello reſcindantur, vel in circulum applicatis cauſticis lapidibus auferantur; & idoneis medicaminibus [§. 487] ad cicatricem ducantur.

610. Cum cutacei ſunt & illaeſa corporis penetralia; oleo antimonii abſumatur ulcus, ſolani vel hyoſciami ſucco abluatur; more ſolito ſiccetur.

611. Ubi vero malignior eſt [§. 308], in carnes & oſſa ipſa expatiatur, & obſtructa ſunt viſcera, intactus maneat eſtiomenus; narcoticis obtundantur dolores; & mali funeſti effectus ſevero vitae regimine coerceantur.

612.

612. Varias cautelas herpetibus qui pertinaciter in cute haerent, vel descriptis medicaminibus non cedunt, abigendis idoneas hic omittimus, cum in curatione generali traditae fuerint.

618. Qui estiomeni cum scrophulis, lue venerea, scorbuto, rheumatismo, arthritide, &c. coincidunt, curentur medicaminibus huic vel illi morbo magis idoneis, quae fuse docuerunt LIND, SYDENHAMUS, SWIETENIUS, &c.

614. In morbis ex retropulso herpete scaturientibus, vel ichor in corporis penetralia vagatur, vel jam in visceribus decumbit . . . cita sit medela, nam utrobique periculum in mora.

615. In priori casu vires erigantur cardiacis, sudificis levioribus, balneis, fotibus, fumigationibus laxetur cutis; cucurbitulis ad affectam partem evocentur ichores; scarificatione subducantur; cauteriis vesicantibus actuosioribus [§. 501] divertatur e praecordiis humorum colluvies; caussis herpetum retropulsionis [§. 191, 192, 193, 194] opponantur obices: vires scrupulose sustententur: interim ita dirigantur medicamina, ut in viscus laesum potentius & citius agere, ac ichorem ex corporis penetralibus revellere valeant.

616. In posteriori, cum ichor tradita methodo [§. 625] non potuit revocari, funesti retropulsionis herpetum praepediantur effectus diaeta severa, venae sectione, enematis, catharticis, emeticis (hic imprimis valet kermes minerale), diureticis, nitratis, aperientibus, aromaticis, maxime kina cum camphora & nitro (quibus exitiosi spuriarum inflammationum exitus his in circumstantiis feliciter praecaventur); enula a practicis adeo celebrata cura perficiatur.

SECTIO ULTIMA.

De Methodo ſibi relictos herpetes reprimendi.

617. Cum herpetes tractari renuunt [§. 332]; tractati; Medicorum operas eludunt; vel curati reſurgunt: ſupereſt, 1°. ut aperientibus, diureticis vel catharticis identidem expurgentur corpora; 2°. cibis blandis & potu convenienti ſuſtententur; 3°. cauteriis minuatur ichoris ad ulcus herpeticum corrivantis affluxus; 4°. ab aeris injuriis vindicentur herpetes; 5°. munda ſerventur die qualibet ulcera & ſuis ſordibus expurgentur; 6°. vitentur omnes cauſae, quae huic vel illi herpeti magis occaſionem dederunt; &c. quae omnia ex dictis facile poſſunt erui.

4.

XX.

D. JOAN. HENR. GEMPT,

DISSERTATIO

HERPETIS NATURAM

ATQUE

CAUSSAS LUSTRANS.

MARBURGI CATTORUM 1790.

PRAEFATIO.

Multa mihi de objecto dissertatiunculae, ritibus academicis ut satisfiat, exarandae, cogitanti, sese obtulerunt argumenta, ulterioris indaginis digna: quare autem herpetem prae aliis dilucidandum mihi sumserim, paucis hic explicare jam animus est. Praecipua consilii causa est hujus morbi dignitas, major certe ac primo intuitu Tibi videri posset. Pruritum taceo, inquietudines, dolores, aliosque cruciatus inde pendentes. Nec deformitatem foeditatemque respicio, licet saepe saepius tantae sint, ut hominum consortium fugere, vitamque solitariam vivere cogantur hoc morbo detenti. Alia plura supersunt, quae morbum, externum licet, sat gravem, discriminisque plenum reddunt.

Frequentia affectus nostri tanta est, ut, saltim in quibusdam regionibus, familiare admodum generi humano supplicium dici mereatur. Ipse ego, medicinam non multis abhinc annis secutus, plurimos hoc malo cruciatos, misereque inde laesos vidi, quibus plurimis sanitatem integram fuisse restitutam adhuc laetor. Occultatur vero saepius foedus noster morbus, & quidem praecipue ab iis in sexu sequiore; quibus nondum affulsit Hymenai laetus dies. Rarior hinc esse videtur, qui saepissime affligit. Pro morbi porro frequentia magnus numerus militat causarum, quae ingenerando huic cutaneo favent malo, cujuscunque materiei morbificae sobole, teste POUPART.

Gra-

Gravitati thematis aliud momentum addit medelae difficultas. Curatu difficillimum esse hoc exanthema nemo est, qui ignoret, nec quicquam obstat, quo minus in scandalis medicorum maximis primum quendam teneat locum herpes. Thesin modo propositam cujusvis medici, etiam dexterrimi, experientia probat: scepticus vero ingentem eorum remediorum lustret farraginem, quae a primis inde artis medicae incunabulis ad nostra usque tempora *specifica* in morbo herpetico fuere decantata. Semper enim a remediorum numero, ad morbi, cui certe tutoque mederi dicuntur, pertinaciam valet conclusio. Laudes hasce nec celeberrimo inter vastum antiherpeticorum agmen merito tribui, multorum proh dolor probavit experientia.

Nec aequo animo omnem herpetis curationem fert natura. Heu quam immensa est & formidabilis morborum turba, qui herpetem male curatum excipiunt. Exemplis observatorum fere omnium scripta abundant, quae hic singula allegare locus vetat. Phthisin pulmonalem solam nominabo, quae ex herpetis metastasi gignitur frequentissima, RAULINO, aliisque id testantibus.

Multum etiam, ut de hoc objecto verba potissimum facerem, impulit defectus libri cujusdam, qui omnia herpetem spectantia continue satis atque summatim exponeret. Cel. POUPART huic quidem desiderio jam satisfecisse videtur, & omnino optimo de herpete scriptori plurimas debemus grates. Sed ex eo tempore, quo POUPART librum suum celeberrimum publici juris fecit, plura innotuere eruditorum cogi-

tata

tata, nec tenuissima inter haec fertilis tulit Germania. Singulae vero, & hinc inde sparsae vel sunt, quae prodiere observationes, vel in transitu quasi pro compendii more morbum nostrum dilucidarunt doctores vel remedio nuperrimo cuidam solum inhaerentes, causas neglexerunt ac accuratam morbi historiam, vel omnino plurima notatu digna plane praetereundo, mancam admodum exhibuerunt morbi ideam.

Is quidem ego non sum, qui omnes hosce defectus simul atque semel emendandos suscipiam, eaque evulgasse jactarem, quae omnem, ut dicunt, paginam absolverent. Absit talis insolentia a tirone, qui, se primas tantum medicinae lineas qualitercunque mente complexum esse, admodum laetatur. Contenderem potius, versatissimum adeo in arte medica virum dirimendis omnibus, quae circa exanthemata chronica restant, dubiis atque obscuris, imo alta caligine obductis, imparem esse. Sed tentandae erant in vitae academicae termino vires, & exhibeo ea, quae pro virium modulo, angustis temporis limitibus circumscriptus, dare possum. Alius forsan, me fortior, scriptiunculae hujus vitia perspiciens, incitabitur, ut eandem materiem omni cura ac studio pertractet, libellumque exhibeat aere perenniorem. Si vero (id quod de tenuitate mea nimium persuaso, sperare non licet) eruditorum laude non omnis carerem, cunctos certe intenderem nervos, ut assidua diligentia, exercitatiori iudicio, & accuratiori studio, majus otium & cogni-

tionis

tionis quaevis incrementa eo dirigerem, quo mutile jam propoſita, minus recte falſeve dicta optime emendando, major ſcripto olim academico adderetur utilitas.

Conſtitueram quidem mecum prognoſin & therapiam adhuc addere, & digeſſi quoque omnia huc ſpectantia. Sed magnum me cepit deſiderium Berolinenſes videndi muſas; quare temporis habenda eſt ratio, atque in aliud tempus magis commodum ea differenda duxi, quae de herpetis curatione mihi innotuerunt plurimorum autorum diverſiſſima cogitata, quaeque propria exhibuit experientia.

CAPUT

CAPUT I.

Morbi Synonyma expendens.

Pauci ſolummodo morbi tot variiſque nominibus ſunt inſigniti, ac ille, quem mihi exponendum ſumſi. Rationem ſi quaeris facile invenies, dummodo ad variam faciem, quam ſaepenumero herpes induit, reſpicere velis, variamque mali hujus ſedem attento paululum animo perpendere tibi placeat. Multiplices haſce denominationes plurium in praxi errorum uberrimum exſtitiſſe fontem ſponte patet. Medici enim de vera morbi natura parum ſolliciti, cuivis formae, a conſueto tramite paululum aberranti, ſpecificum parare fervidi annitebantur, haud perpendentes, formam morbi locumque quem vexat, minoris ſaltem in praxi eſſe momenti, nec niſi perſpecta demum morbi natura ac indole, optimum & maxime quadrans adminiſtrari poſſe remedium. Hinc illa nominum caterva, quae ut ignorantiae aſylum haberent, praeſertim eo proceſſiſſe videtur.

Primum morbo nomen dederunt, qui infantilem artem noſtram ſcientiam eſſe voluerunt graeci. Ab ἑρπειν ſerpere dixerunt ἑρπης, vel ἑρπηδων vel ἑρπουςικον ἑλκος. Optimum hocce, adhucdum uſitatiſſimum, videtur cognomen, cum attributum quoddam externum deſignet, morbo noſtro tantum non ſemper familiare.

Plinius ſub titulo ζωςηρ morbum noſtrum deſcribit, Scribonio *Compoſ.* 247 vero *zonae* nomen eſt. Vocabula haecce vel a ζωννυω, *cingo* (partem enim corporis quandum interdum cinguli inſtar circumdat

zo-

zona) vel a *ζέω ferveo* (quod pruritum valde iniucundum urentemque cieat) originem duxisse videntur. Idem nomen secutus quoque est CELSUS L. 5. C. 28.]

Recentioribus vero temporibus Zonae vel Zosteris nomen erysipelatis rariori cuidam speciei datum est *a*), quae medium corpus vel omnino, vel magna saltim ex parte cingit, ad genua usque saepius extenditur, & vesiculis acerrimo humore repletis, febre validissima, deliriis, doloribusque vix ferendis, stipatur. Affectus hicce, quem *sacrum ignem* vel *Sti Antonii* alii vocant acutum servat decursum, imo quandoque lethalem habet exitum: non ita herpes, qui chronicus esse, lenteque aegrum torquere consuevit. Negari tamen nequit, hanc erysipelatis speciem herpeti valde esse confinem, herpetem saepius esse erysipelatosum, gastricaeque indolis *b*). Plura invenies in optimi BURSERII *Institt. Med. Pract. Vol. II. Cap. II, III.*

Dartam alii vocaverunt a *δέρω excorio*, quam denominationem Galli aptam satis habuerunt, quae in linguam suam transferretur.

Plurima recensenda restant epitheta, a latinis autoribus herpeti adscripta. Tanta autem hac in re exstat confusio, cui dirimendae me omnino imparem confiteor. Praeclare ideo Ill. R. A. VOGEL *c*): „*Discrepans enim admodum vagusque & inconstans nominum „usus in hoc vitiorum genere frequentissime deprehenditur, „unde non parum redundat difficultatis ad dignoscendas „veras affectionum species.*"

Ex-

a) SEVERINUS de recondita abscessuum natura, C. IV. C. 9. §. 11. pag. 223.

b) Clar. RICHTER *Anfangsgründe der W. A. Kunst*, B. I. Cap. IV. S. 104. FR. AUG. SCHWARTZ (praes. JUNKER) de zona serpiginosa. Halae 1745. 4.

c) Diss. de vitiligine, Götting. 1764. pag. 8. 9.

Exactam ac adaequatam cujusvis ſynonymi notionem non extricare valemus, fortaſſis nec ipſis autoribus ſemper fuit. Nonne igitur melius eſſet, omnia chronica cutis exanthemata, quorum exacta ſatis ac accurata non dantur diagnoſtica ſigna, uno eodemque complecti nomine, nullo ad diverſiſſimas denominationes habito reſpectu? Sic videtur. Arti maximum inde naſceretur compendium, errorumque largiſſima obſtrueretur ſcaturigo. Nec video, quid obſtet, quominus univerſale quoddam nomen deligamus intactis aliis confundentibus, cum ſemper in praxi ad cauſas reſpiciendum ſit, & empiricorum in modum ſi etiam agere cogamur, tamen eadem remedia magno cum fructu morbis cutaneis, quoad nomen diverſiſſimis, opponere ſoleamus. Omne quidem chronicum cutis exanthema alii ex hac claſſe propinquitatis vinculo iunctum eſt, nec in omni caſu limites exacte determinatos ducere licet: Sed, ſi tamen nominibus opus eſt, iis ſolummodo efflorеſcentiis peculiare addamus cognomen, quae ſuis ſignis, ut plurimum ſaltim, certo dignoſcuntur. Pertinere huc videntur *Scabies*, *Elephantiaſis*, *Lepra*, *Vitiligo*, *Tinea*, *Cruſta lactea a)*, *Pians l. Jaws*, *Pelagra*.

a) Clar. Bell *Abhandlung von den Geſchwüren und deren Behandlung, Leipzig* 1779. S. 124. nec tineam nec cruſtam lacteam genus quoddam ſingulare eſſe contendit, autumans ſingulum huncce morbum commode ſatis herpeti adſcribi poſſe. Sed eſſentialis quamvis diverſitas nondum innotuerit, Clar. tamen viro contradiceres forſan: *a.* enim hi morbi tantum non ſemper infantili ſolum aetati infenſi ſunt *b.* topicam quandam ſingularem curationem requirunt, cum ſemper partem quandam determinatam prehendant. *c.* Cruſtae lacteae ſpecificum plurimis eſt *Jacea tricolor*, quae raro multum contra herpetem poteſt. Sed ingenue fatendum argumenta haecce Clar. Bell non omni

Pelagra. Alias chronicas pustulationes, prioribus titulis non subjacentes fortassis non inepte universali nomine Herpetes diceres. Ita certissime raro dubius haerebis, quale morbo competat nomen, nec eodem jure duo facile tribuere poteris anceps. Eo majori fiducia haecce apposui, autoritate fretus Clar. UNZER *a*). Graphice admodum vitia circa morbos cutaneos brevi perstringit Cel. autor.

Sed ab instituto nimium digressus in viam redeo, singula iam synonyma adducturus.

LICHEN aliud est, nec infrequens herpetis synonymum. Diversum quidem censent plurimi e quibus Cel. R. A. VOGEL nominasse sufficiat; cui genus 462 *lichen* vel *impetigo* audit. Esse autem *maculam subrubram asperam, duram, siccam cum ingenti prurigine* asserit *b*). Verum enim vero alium plane ac VOGELIUS, hoc sub titulo describit morbum Cel. LORRY *c*): *Pruritum* enim *constanter fere abesse nec unquam humidi quidpiam in sicco & aspero hoc cutis morbo deprehendi* contendit. Porro idem Clar. LORRY l. c. 243. & Cel. POUPART *d*) sub lichenis titulo ab HIPPOCRATE aliisque herpetis quandam speciem *farinosam* de-

ni ex parte refutare. Dandum interim aliquid receptae consuetudini, ne insuetis ac novis nimium inhaerere videamur, quare & mihi veterum herpetem inter, tineam ac crustam lacteam distinctio magis placeret.

a) *Med. Handbuch*, *Leipzig*. 1789. Th. I. S. 463.

b) v. ejus Prael. ex edit. TISSOT. Lusannae 1789. T. II. pag. 300. §. 706.

c) Tractat. de morbis cutaneis. Paris. 1777. 4to maj. pag. 242.

d) *Abh. von den Flechten. Aus dem Franz. von* CONRAD. *Strasb.* 1784. p. 5.

describi docent. Exp. CARTHEUSER *a*) ex gradu distinguit herpetem, miliarem & lichenes. Lichenem ad herpetum genus quoque refert TURNER *b*). Et revera tenuè adeo discrimen utrumque intercedit morbum, ut sub communi voce recte comprehendi videatur, praesertim cum saepius lichenes successu temporis in veros herpetes degeneratos esse, notum sit. Lichenes alii, praesertim Arabes dixerunt *Zernam, Petiginem*, *Derbicam, Sylvaticum, Asaphatum, Volgarium, Ignem volaticum, Volaticam, Sarpedinem*, quae synonyma hic apponenda censui: herpeti enim competant, necesse est, si unum eundemque cum lichene esse morbum, jam adstruxerim.

Herpes quoque haud raro impetigo (*Impetix*, *Petix*, *Petigo, Hhaza, Horaz, Kuba*) salutatus est. Verum ex accurato scriptorum veteris aevi scrutinio patet, sub hac voce non unicum morbum fuisse descriptum, sed genus quoddam eo indigitatum fuisse superius, plures simul complectens species. Ita LORRY l. c. 348. Hinc etiam Cel. BOISSIER de SAUVAGES Classis suae X. ordinem V. & Ill. CULLEN Ord. III. Class. III. *Impetigines* salutaverunt nomine universali, nec *herpeti* hic assignarunt locum. Clariss. LORRY l. c. 349, 350 impetiginem veterum quorundam nil aliud esse ac herpetem miliarem adstruxit, cui simplicitati studens lubentissimus adsentior.

Serpiginem, *serpentem*, alii, graecam transferentes vocem, nostrum dixere morbum. Cel. quidem LINNE discrimen adesse putat, cum in hac *pustulas escharoticas*, *basi cummuni erysipelacea* adesse, in *serpigine* vero, *pustulas siccas, obsoletas, serpentes, subfari-*

 na-

a) Resp. VIRMOND de potioribus morbis cutaneis. Frcf. ad Viadr. 1760. pag. 23.
b) *Von den Hautkrankh.* Th. II. Cap. 5. S. 136. *u. f.*

naceo desquamantes videri contendat *a*). Sed cum Clar. R. A. VOGEL genera morborum distincta minime conjungere solito, ambos hosce affectus unum eundemque esse morbum affirmo. Autor modo laud. etiam *purpuram*, quam vocant, *scorbuticam ad serpiginem verissimam referendam* esse merito monet, ideoque & haec sub generaliori herpetis titulo merito collocatur.

Nec ex sola exteriore morbi facie natales duxerunt synonyma. Etiam ex parte quadam primario infecta, non raro singulare quoddam nomen effingere operae pretium duxerunt nosologi veteres male seduli. Huc praecipue pertinere videtur Mentagra, quae regnante TIBERIO CLAUDIO caesare primum in Italiam irrepsisse dicitur, graeco nomine *lichen* dicta *b*). Uberius hac de varietate agere non licet: plura scire qui cupit adeat PLINIUM ejusque interpretes, praecipue vero FRID. SARTORIUM *c*), qui locum huc spectantem prolixe ac diserte satis ex professo explicavit.

Sub titulo Ignis sacri CELSUS *d*) herpetis duas species describit, paululum diversas ab invicem.

Arabibus *e*) herpes sub voce *μυρμηκιων formica* notus erat, cui quandoque *corrosivae* epitheton addebant, si morbi majorem gradum designare placeret.

Porro

a) Idem jam censuit BALLONIUS Conf. C. II. Conf. 28. HELLWIGIUS vero Obs. phys. med. serpiginem unum idemque esse cum herpete asserit.

b) C. PLINII SECUNDI Hist. nat. Lib. XXVI. Cap. I.

c) Diss. de mentagra praes. IOHRENIO Frcf. ad V. absque anni inscriptione habita — Novum non fuisse morbum demonstravit Clar. GRUNER morb. antiquitat. Sect. II. Art. 7. pag. 162 seq. Vid. etiam HIER. MERCURIALIS de morbis Cut. & omnibus C. H. excrementis. Venet. 1625. 4to. pag. 93.

d) De medicina, L. 4. Cap. 28. pag. 198.

e) AVICENNA Fen. 3. Tract. I. Cap. 6.

Porro voces *Hhaza, Haraz, Kuba, Derbica, Saphatum, Asaphatum* passim in eorum scriptis occurrunt, si de herpete sermo est.

Paracelso *a*) veteribus inimicissimo nullum cognomen in hunc morbum quadrare placuit, lupi nomen herpeti tribuendum autumans, voracitatem forsan respiciens.

Sunt demum alii, qui nulla morbum nostrum peculiari denominatione egere crediderunt, describentes eum sub vocabulis generalioribus *phymatum, papularum, pustularum* & *phlyctenarum b*).

Nec in sola latina lingua synonymorum occurrit farrago. Gallos autem fere simplicissimos invenio.

Dartre commune & tritum eis nomen est: quandoque etiam, sed rarius, vocibus minus definitis *Galle, Gratelle, Tigne, Feu volage* utuntur.

Angli herpetem dicunt *Tetter, Ringworm, Shingles, Hairworm, Dewworm, wild Fire c)*.

Belgis familiaria cognomina sunt, *de Hairworm, Droog - Kraussel, vuurige Schurftheid, Ringworm, Dauworm, de Wolf.*

Vernacula lingua nec synonymis caret: Solennia sunt: *die Flechten* (nomen a lichene desumtum) *Schwin-*

a) Tractat. de ulceribus, Cap. 7. pag. 576.

b) Celsus. Fernelius L. VIII. de ext. affect. C. IV.

c) Anglorum plurimi indefinite admodum de cut. morbis loquuntur. Passim *scorbuti* titulo universam hancce classem insigniunt, alii vero species valde confundunt. Secundum Celeb. Fr. Home *Clinische Versuche und Leichenöfnungen aus d. Engl. Leipz.* 1781. p. 469, 470. *Lepra Graecorum* & *herpes* sunt synonyma, qui tamen morbi omnium consensu sunt distinguendi.

Schwinden, Schwindflecken, Zittermaal, das heilige Feuer, die Ameise, der fressende Wolf, der Abgang, die Räude, die Daar, der Ansprung, Zitterich, Dorrweg, der Flug.

Monendum denique adhuc est, ne errasse videar, quae modo enarravi synonyma non soli herpeti, sed pro confundentium more pluribus adhuc, iisque partim diversissimis, exterioris cutis morbis, fuisse adscripta. Sed non raro his sub titulis herpetem passim esse pertractatum, nemo dubitabit paululum versatus.

CAPUT II.

Morbi definitionem exhibet.

Recensitis jam synonymis ad morbum definiendum me ducit dicendorum ordo. Sed ingenue illico fatendum, me exactum satis, quae omnibus satisfaciat Logices regulis definitionem proponere non posse. Hoc certe primo aspectu plurimis videbitur deplorandum, captum superans: morbus enim externus, chronicus, sensibus percipiendus, quorum fraus minor plerumque est ac ratiocinii. Medicam forsan artem incertam inde atque dubiam habebunt obiicientes. Definitionem enim morbi exhibere qui nequit, morbi quoque naturam atque essentiam perspexisse non videtur. Sed difficultatis causa in eo latet, quod morbi facies admodum inconstans sit atque polymorpha, nec semper eadem incedat via atque ratione. Credendum interim non est, solum herpetem exacta definitione carere. Schola plurimorum morborum exhibet definitiones, quae subtiliorem disquisitionem non admittunt. Sed nec sola definitio medicum practicum format: lubens iis caret, qui omni morbo certam parare potest medelam.

Mag-

Magni in arte noſtra viri in definiendo herpete me non fuiſſe videntur feliciores. Liceat mihi recentiorum quorundam hic apponere definitiones, quo quisque illam ſibi eligere poſſit, quae optima videtur.

Def. BOISSIER de SAUVAGES: *Efflorefcentia ex tumoribus exiguis rubris aggregatis, pruriginoſis, in ſquamas furfuraceas, raro cruſtaceas abeuntibus.* *Def. Cel.* a LINNE: *Puſtulae eſcharoticae baſi communi eryſipelacea.* *Def. Clar.* VOGEL: *Papula ardens cutim ſerpentibus minimis puſtulis erodens.* *Def. Ill.* CULLEN: *Phlyctaenae vel ulcuſcula plurima, gregalia, ſerpentia dyſepuleta:* *Def. Cel.* PLENK *a*) *papularum chronicarum ichoroſo-ſquamoſarum ſemper ulterius ſerpentium agmen.*

Non magna contentione opus eſſet, ut oſtendam, definitiones modo laudatas, vel definitionis verum caracterem non prae ſe ferre, vel alio etiam vitio laborare ſat gravi. Accuratiorem vero nec ego apponere audeo: illam enim dare non poſſum, quae omnes herpetes caperet ſpecies, cunctos ſimul ſecludens alios morbos. Deſcriptionem addere facillimum quidem fuiſſet, ſed cum in decurſu eadem repetere debuerim, chartae parcendum eſſe duxi. Nec eſt, cur anxie definitioni inhaeream, cum ex morbi decurſu, intra fuſius exponendo, facile pateat, num in aegro quodam adſit herpes nec ne? *Facilius plerumque eſt, rem praeſentem diſcernere, quam verbis exacte definire,* praeclare dixit GAUBIUS *b*). Et ſi etiam diagnoſis non ſemper abſolute certa ſit, quid inde diſcriminis? Nonne omnes chronicas cutis efflorescentias eadem fere ſanamus methodo? Specifica ſi adeſſent, operae certo pretium foret maximae, in diagnoſticis deſudaſſe morbi ſignis.

 CAPUT

a) Doctrina de morbis cut. Vienn. 1783. pag. 65.
b) Inſtitut. Pathol. med. §. 81.

CAPUT III.

Divisiones lustrans.

Disquirendum jam est, quae ratio herpetis externam faciem adeo saepe immutet. Causae vero huc facientes plurimae afferri possunt, quarum praecipuas diiudicasse sufficiat: aliae enim, inter quas *sexum, vitae genus, clima, anni tempus* refero, in immutandis herpetum speciebus nil valere videntur, quamvis maximae ceteroquin in hominis sani pariter ac aegroti conditionem sint efficaciae. Primariae vero causae, quae proferri possent, mihi videntur esse:

1. *Partium, quas herpes tenet, differentia.* Contendunt autorum plurimi quamvis speciem partem quandam prae aliis amore prosequi. Sic e. g. herpes in partibus generationi dicatis obvius semper fere squamosus est, ex peculiari cutis conditione teste POUPART *a*). BERTRAND de la GRESIE *b*) contendit herpetem, qui brachia, manus, femora atque partes genitales laedit, ut plurimum esse miliarem. Non vero ita sentit Clar. BELL l. c. 223 qui partes circa lumbos, pectus, genitalia, anum, scrotum & inguina ut plurimum ab herpete miliari corripi narrat. In insigni opere cui titulus: *Encyclopedie ou Dictionaire universel raisonné des connoissances humaines Tom. XII. Art. Dartre* invenio collum, pectus, lumbos, coxas atque femora potissimum h. mi-

a) *Zusäzze zu* POUPARTS *Abhandl. von den Flechten. Strasburg* 1785. pag. 13.

b) *Versuch über die beste Behandlung der Flechten in den neuen Sammlungen der auserlesensten Abh. für W. Ae.* St. IX. S. 23.

miliari laborare. Cel. LORRY l. c. 305. h. miliarem nunquam in facie vidit, & ibid. 407 monet, qui partes genitales regionesque vicinas affligit esse exedentem, cum tamen autores modo laudati miliarem esse doceant, vel squamosum. Ex observatorum igitur, quorum aliquot saltim adduxi, dissensu patet *locum affectum minoris certe in mutanda herpetis facie esse momenti.* Quamcunque corporis partem, quaevis herpetis species opprimere potest, nec ullus datur locus, propriam sibi qui vindicet speciem.

2. *Diversa aegri conditio.* Nec haec sola sufficit, quamvis attenta observatio immutantes vires forsan aliquando docebit. Temperamentum enim minime inconstans adeo est, ut pauci dies id immutare valeant. De herpete autem constat non raro unam speciem in aliam abire. LORRY l. c. 307.

3. Alii *cuivis speciei specificam materiem tribuere* possent, ita ut tot miasmata varia numerarent, quot species cuivis ponere placeret. Sed nec in horum sententiam ire lubet, cum idem argumentum de transmutatione specierum (nro 2) & huc quadret. Et si etiam firmum satis tibi non videretur, qui fit quaeso, ut saepius plures simul herpetis species in uno eodemque homine videantur? LORRY l. c. 316. An plura miasmata sui generis plane diversa eodem momento in corpus agere possunt, salva cujusvis propria natura? Et an in perpetuo illo movendorum circulo accurata ea miasmatum disjunctio persistere potest, ut semper alterum in partem sibi determinatam agat, relictis plane aliis? Non videtur sane. Sed si morbus mere topicus esset, quid tunc? Operae igitur pre-

tium foret, inoculationem, quam dicunt, & hic tentasse: plurima enim dubia removeret, quae jam ratiociniis magis fallacibus sunt eruenda.

4. *Diversa causae efficacia* principem certe attentionem meretur. Facilius omnia inde explicantur: major causae fortioris sit effectus minor debilioris necesse est. Secundum hanc imaginem *farinosus* minimum, secundum *pustulosus*, ultimum vero & maximum *exedens* teneret gradum. Nec sola theoria hypothesin tuetur, praesidio quoque est experientia. Herpetis enim minor gradus, si neglexeris, transit saepissime in graviorem, hic vero justa adhibita medela in leviorem mutatur speciem, antequam omni ex parte discedat *a*).

Omnis ergo herpes gradu tantum differet, natura idem. Non dixerim tamen nullam aliam existere posse causam, quae mutationem inferre valeat. Multum forsan confert causae ipsius varia indoles atque natura. H. syphiliticum plerumque esse squamosum annotat ROUSSEL, sed addit idem non raro quoque miliarem ex hoc fonte ducere natales *b*). Clar. GIRTANNER *c*) eundem quoque herpeti venereo caracterem addit: pustulationes enim, de quibus verba facit, ad herpetum genus pertinere non dubito, quamvis peculiare nomen illis non tribuit.

Ex praecedentibus verosimillimum igitur est, omnem herpetem *gradu tantum* differre, id quod etiam aliae comprobant causae passim recensendae. Hinc species exacte determinari non possunt, cum sensim sensimque in se invicem transeant arctis atque definitis limitibus minime circumscriptae. Divisiones igitur, quas

a) LORRY l. c. 304. 307. POUPART *Zusätze* pag. 14.
b) POUPART *Zusätze* 12.
c) *Von den venerischen Krank. I. Band* pag. 291.

quas natura non posuerat, quisque fere sibi finxit pro lubitu, hinc autorum maximus dissensus in re plane aequipollente. Varias variorum distinctiones adducere nefas foret, nec ipse ulla divisione opus esse crederem, nisi hac posita morbi descriptio facilior videretur, atque magis perspicua. *Unicum* vero divisionis fundamentum sequi oportet; ne in infinitum distinguamus. Erraſſe ergo videntur cum aliis Cel. BOISSIER de SAUVAGES *) & Cl. PLENK l. c. 62. inter varias species h. *syphiliticum* quoque recensentes, quasi hic singulari nomine indigeret. Ex causa venerea quamvis herpetis speciem originem sumere posse notissimum est: si vero secundum causas dispescere voluissent Cel. VIRI, quare ex ingenti numero hanc modo recensent? Divisio ratione causarum optima certe foret, cum statim medendi justam monstret methodum. Dolendum interim, causas ut plurimum alta adeo caligine esse pressas, ut saepe saepius eas suspicari ne quidem liceat. Non omnes porro nobis innotuere causae, quae sequenti aevo investigandae restant. Divisio ergo seculo forsan vigesimo optima, nobis pararet errorum ditissimum fontem. Omnes vero herpetis differentiae commoda satis serie disponi videntur, si tres numerem gradus, *farinosum* nempe, *pustulosum & exedentem*. Hanc ergo sequi divisionem animus mihi est, eos vero nequaquam reprehendendos censeo, quibus alia magis arrideat.

An vero omnis morbus *herpes* dictus nomen hocce meretur? vel potius ignorantia diversissimis morbis commune hoc imposuit nomen? Anne posterius confirmat diversa medicamentorum vis, quae modo morbum cito tollunt, modo autem nil plane efficere valent, religiosissime etiam si adhibueris? Contradicere co-

*) Nosol. Method. Amst. 1763. 8. T. II. P. I. p. 19.

cogor. Delirare enim paululum videretur ille, qui causarum remotarum pariter ac occasionalium variam perspiciens indolem specificum adhuc quaereret, nullo prorsus studio parandum. Variam morbi faciem affirmantibus non favere supra jam monui. Absit tamen, ut omnes essentiales differentias morborum, quos *herpetes* dicere solemus, pernegem: *Tantae enim tenebrae chronicos cutis morbos tegunt, quas nec Argus inter medicos perspicere posset.* BELL l. c. 220. Id solum arguo, rem incognitam subtilissimis distinctionibus ne hilum quidem inclarescere, confundi potius. Consultius ergo erit, omnes, quorum externa facies suadet, morbos *herpetes* dicere, atque remediis aggredi fiducia dignissimis, usque dum penitior indagatio horum morborum nosologiam aeque ac therapiam certiorem fecerit, obscura quaevis debellando.

CAPUT IV.

Decursum enarrans.

Quae omni herpeti communia sunt merito specierum vel potius morbi graduum descriptionem antecedunt. Pauca igitur hoc spectantia praemisisse juvabit.

In genere omnis H. est morbus chronicus acutum tamen quandoque decursum servat, vel saltim symptomata adsunt febrilia, quorum causas in exanthemate illo forsan non quaereres. Sensim sensimque ut plurimum in cutim prodit, praegresso semper quodam pruritu. Rarissime in unica tantum parte persistit circumscriptus, sed brevi dissitas etiam regiones invadit. Nulla corporis externi pars immunitate fruitur, volis manuum & pedum plantis non parcit, crassissima

ſiſſima cute quamvis tegantur. Partes veſtimentis fotae prae aliis ei arrident, & ex his demum in alias tranſit vicinitatis iure. Veſicam urinariam & vaginam ad uterum uſque *a*) quandoque occupat, dolores ſummos, haemorrhagias, fluorem album, iſchuriam vel ſaltim urinae difficultatem movens *b*) vel ſtillicidium *c*). Ut plurimum ſaltim in initio, partem intra articulationem quandam mediam prehendit, ſaepius quoque in ipſa articulatione primario & unice apparet.

Nulli parcit aetati: Infantibus autem minus familiaris prodire ſolet ea aetate, qua omne incrementum abſolvit corpus *d*). Sexui ſequiori alias non adeo frequens, infeſtus ſaepius eſt ceſſantibus ob naturae legem menſtruis.

Duae ſunt periodi, quibus aegrotos plurimum vexat, tempore nempe decubitus, & aliquot poſt paſtum horis, quibus chylus ſanguinem intrat.

Cauſa h. materialis ſaepiſſime intus latet, nec ullis ſignis externis ſui praeſentiam prodit. Adſunt quidem plurima ſymptomata nervos irritari teſtantia, ſed inde ſtatim ad herpeticum virus concludere neſas foret. Morbi quos nervoſos appellant ſaepius certe, quam vulgo creditur, hancce cauſam agnoſcunt abditam.

Veris ut plurimum eſt ſoboles, quod efflorefcentiam per omne regnum vegetabile pariter ac animale diffundit. Aeſtate fervente maxime furit. Frigoris ut plurimum impatiens hyeme quieſcit, ac e latebris qua-

a) Bertrand de la Gressie l. c. 18.
b) Sauvages Claſſ. IX. pag. 386.
c) Poupart l. c. 84.
d) F. Hoffmann. Med.[s] rat. ſyſt. T. III. Cap. 9. §. 15. Franc. Home *Clin. Verſuche* 469, 470.

quaſi fermentatione verna excitatus aegrum ſecurum denuo invadit. Haec frequentius: Quandoque autem autumnus morbi eſt parens, ipſaque hyems, mortalibus infeſta, furiam hancce alit perniciofiſſimam.

Rariſſime occurrit h. *epidemicus*. Talem obſervavit Cl. RICHARD teſte POUPART *Zuſäzze* 15. Erat vero *miliaris* & *contagioſus*, nec alia ſub conditione *epidemicus* eſſe poſſe videtur. Eandem ſpeciem epidemicam vidit Cel. LORRY l. c. 99. In veterum quidem monumentis paſſim de h. populariter graſſante legitur, ſed evictum nondum eſt, num revera idem fuerit morbus, quem nos herpetis nomine ſalutamus.

Endemius ſaepius videtur, & quidem in *regionibus quibusdam calidis atque humidis ſimul,* quae aeris conditio perſpirationis negotio minime favet. Hinc in Inſula *Java* h. valde eſt communis *a*), ejusque *Aleppi* tanta eſt ſaevitia, ut vix unicus e millenis evadat, cui nunquam intentaſſet manus *b*). Extantior quoque frequentia eſt inter *Cayennae* incolas, quae hic & in aliis zonae torridae locis tanta eſt, ut vix hominem invenires, nunquam diro hocce morbo excruciatum *c*). Ea quidem in locis humidis atque paludoſis, quae frigido ſubjacent coelo crebritas morbi non eſt, ſed tamen abundantiam non ſolum calida parat regio. Humidam aeris temperiem merito accuſant plurimi, e quibus Cel. POUPART l. c. 54. HERM. BLUHM *d*) &

a) BONTIUS de Med. Ind. l. I. Cap. 20.

b) ALEX. RUSSEL the nat. hiſtory of Aleppo, Lond. 1756. 4. pag. 282. RUSSEL treatiſe on the uſe of Sea Water, pag. 2. HASSELQUIST *Reiſe nach Paläſtina. Roſtok* 1762. 8. Th. II. S. 118.

c) BAJON *Abh. von chron. Krankheiten auf der Inſel Cayenne und dem franz. Guiane. Erfurt* 1784. Abſchn. II. S. 35.

d) *Verſuch einer Beſchreibung der hauptſächlichſten in Reval herrſchenden Krankh. Marburg* 1790. S. 146.

& EVERS *a*) nominasse sufficiat. Clar. ACKERMANN *b*) desidem vitam plurimum conferre autumat. Cel. TRAMPEL *c*) haud dubitat morbi ad maris littora vel fluviorum ripas frequentiam ex copiosiori piscium esu derivare. Vidit etiam h. semper adauctum in monachis, quoties carne abstinere, piscibusque vesci juberet religio. Clar. RAYMOND *d*) fuse admodum atque testimoniis autorum numerosissimis comprobavit, quantum ad morborum cutaneorum ortum faciat piscium frequens esus. In eadem re multum quoque desudavit HENR. LUD. JENSON *e*). ILL. BOERHAAVE *f*) piscium esum herpetico interdicit, de noxio forte eorum effectu experientia edoctus. — Ex omnibus hisce hypothesi Trampelianae non minimum accedit ponderis, sed de his omnibus plura adhuc infra dicendi erit occasio.

Periodicus etiam quandoque est H. *g*) *Annua saepe est & salutaris* habet F. HOFFMANN *h*). Vere potissimum, interdum etiam autumno, reparatis viribus aegrum invadere, supra jam monui. Cf. etiam LORRY l. c. 303. POUPART 64. Exemplum hujus rei satis memorabile affert Cl. POUPART *Zusäzze* 24. Utrumque scil. aequinoctium morbi cujusdam chroni-

ci

a) In SCHMUCKERS *verm. Chir. Schr.* B. I. S. 183.
b) In Perill. BALDINGER *N. Magaz. für Aerzte*, B. 8. St. 3. S. 163.
c) *Beobacht. u. Erfahr.* II B. *Lemgo* 1789. S. 163.
d) Histoire de l'Elephantiasis &c. a Lausanne 1767. 8.
e) De affect. leprosis. Praes. CARTHEUSER. Francof. ad V. 1770. 4. pag. 8, 15, 14.
f) Consult. medicae s. sylloge epistolarum cum responsis. Götting. 1752. 8. Vol. II. Cas. VI. pag. 27.
g) WEDEL de herpete resp. HIERONYMI. Ienae 1703. p. 26. duo habet exempla periodici reditus, cujus alterutrum satis memorabile est.
h) Med. rat. syst. T. III. 220.

ci ſymptomata per ſex annorum ſpatium augebat, poſt X. vel XII. dies omnia iterum miteſcebant. Suſpicabatur Clar. vir latens herpeticum virus & tempus opinioni adjecit calculum. Exhibita enim medicamina felici eventu produxere h. efflorescentiam, aegrum multum levantem. Frequentiſſima autem periodici reditus cauſa eſt menſium ſuppreſſio, cujus in morbis diverſiſſimis procreandis omnipotens eſt poteſtas. ROUSSEL *a*) narrat, puellam non menſtruatam in diverſis corporis partibus, potiſſimum vero alterutro clune quovis menſe aluiſſe herpetem, qui in ulcus abiens ſanguinem per aliquot dies plorabat, ſponte poſtea iterum evaneſcens. Cel. THILENIUS *b*) hiſtoriam habet foeminae h. laborantis, qui graviditatis tempore ſemper evaneſcit, poſt puerperium certo redux. Tres jam peperit infantes ab omni h. ſuſpicione prorſus immunes.

Praemiſſis his generalioribus ſingulas jam ſpecies ſeorſim dilucidare meum eſt. Agmen merito ducit leviſſimus gradus, *farinoſus* nempe, quem non niſi gradu a miliari differre plurimi jam cenſent *c*). Patent vero huic ſpeciei omnes corporis partes, attamen *praeſertim aeri liberius expoſitis, faciei, collo, brachiis, atque articulationi manum inter & brachium anterius infeſta eſſe dicitur.* BELL l. c. 222. Partes ſi veſtimentis tectas invadit, major morbi gradus eſſe ſolet, *ſquamoſi* nomine quibusdam notus. Squamoſum vero alii *lichenis* nomine ſalutant, iis ergo *herpes* nomen eſt genericum, cujus ſpeciem quandam *lichenem* dicunt. Absque praeviis ſignis oritur, nec incommoda multa aegro ceteroquin ſano adfert. Pruritum fere nullum excitat, niſi in partibus, quas veſtimenta ſemper tegunt: In aliis

a) De variis herpetum ſpeciebus. Paris 1779. pag. 55.
b) *Med. u. Chir. Bemerk. Frankf. a. M.* 1789. S. 204.
c) BERTRAND de la GRESSIE l. c. p. 32.

aliis, quae nudae esse solent, fortasse acrimonia irritans facilius abit in auras, vel ab calorem minorem, minor etiam est materiae nocentis depositio, vel reactio major majorem depositionem impedit. Irregulares illae angulosae striae cutim superiorem ubivis innumeris lineolis perrepentes, primae morbum praesentem demonstrare solent. Cuticula enim, quae has fossulas tegit, prima separatur, quod ex aspredine quadam & colore albido colligere licet. Sed brevi etiam in adjacentes partes eadem transit labes desquamans. Rarius tamen multum serpere solet haecce species, minori ambitu acquiescens. Non desunt interim exempla, ubi universalis fere, totam simul corporis peripheriam invadebat. ACKERMANN l. c. 167. Nunquam hic humor effluit, quare etiam *siccam* hancce speciem plurimi dixere: pauca tamen copia adesse videtur, quae cuticulam secedere faciat. Interdum sed rarius, pustulae quoque apparent minimae, quae vero ut plurimum omnem visus aciem fugiunt, tactu magis percipiendae. Non nisi cuticulae infesta est prima haecce species, quam a subjacente cute solvit, atque in pulverem albidum furfuraceum mutat. Pars affecta secedente illa cuticula farinae simili, sana esse videtur ut plurimum, interdum autem substrata cutis rubicunda, calet atque dolor quidam adest pruriens. Saepius desquamatione unica finitur omnis morbus, ut plurimum autem brevi alia quaedam cuticulae secessio priscum locum vel alium quendam deturpat, eadem incedens facie. Rebellis non est h. farinosus, brevi & facile plerumque curandus. Recte interim monet Cel. POUPART l. c. pag. 87 sqq. & 151, atque exemplis illustrat, exceptione quadam opus hic esse. Quo minori enim impetu exteriora affligit h., eo major non raro intus delitescere solet causae morbificae vis, data occasione in actum facile prorumpens. Perversa vel nulla medela adhibita

 per-

perdurantibus interim atque perpetuo crescentibus causis semper in pejus ruit h. farinosus, squamosam induens faciem. Accedentibus autem aliis momentis ipse h. *pustulosus* oritur, quem jam describere aggredior.

Altera species *H. pustulosus* non adeo benigna apparet, gravior exstat causa, symptomata magis urgent, sanatio difficilior lentius procedit, atque exitus saepe anceps est. Sequitur autem farinosum vel nullo alio praegresso cutis morbo oritur protopathicus. Cuticulae insident verae *pustulae* vel *solitariae*, vel *confertim positae, coagmentatae.* Milii granis plerumque vix majores sunt, unde etiam speciei huic *miliaris* cognomen imponere a primis inde medicinae exordiis consueverunt autores. Interdum autem duplo vel triplo majores sunt, eadem alioquin incedentes facie: hanc speciem *pustulosam* dicere placuit plurimis inter recentiores: Nil autem vetare videtur, quo minus miliaris *H.* eodem pustulosi nomine salutetur, hinc communi titulo describendos esse duxi, nullam essentialem differentiam, ne quidem quoad habitum externum animadvertens. Plurimis etiam *H. erysipelatosus* audit haecce species, quam denominationem praesens partis affectae inflammatio saepius insignis, satis superque tuetur. Ambo hi morbi adeo propinqui sibi sunt, ut limites semper ponere non auderes. Praecipue quoque huc pertinet celebris illa *Zona*, quae partem quandam vel omnino, vel magna saltim ex parte cingit. Collum vero, pectus, abdomen, lumbos, poplites rarissimus hicce morbus eligere solet. Quae intercedat differentia determinant, *maior in zona inflammatio, symptomata antecedentia ac concomitantia urgentiora, febris fortior, decursus celerior, discrimen majus. H. porro pustulosus, saltim in morbi initio, discretus esse solet, circulo gaudet inflammato, nec radios rubicundos in vicinas partes mittit, quod ery-*

eryſipelati ſolenne fere eſt.—Interim *non omnis zona* facilis adeo ab herpete diſtinguitur. Propius quandoque herpeti accedit, ambit nempe partem quandam, praeſertim collum ac poplites, omnem vel quodammodo ſaltim, eruptionem indicunt levior vel nulla febris, inflammatio minor eſt, minor itidem dolor atque pruritus, febris nulla adeſt, aeger ceteroquin ſanus, diro hocce malo per menſes excruciatur, imo annos. Huius porro zonae cauſae tantum non ſemper ſunt externae, v. c. acria cutim irritantia, prioris vero fomes plerumque eſt humor bilioſus, primas vias obſidens. Priorem igitur ſpeciem *zonam eryſipelatoſam* dico, atque ad eryſipelatis genus refero, poſteriorem vero, cui *zonae herpeticae* competit nomen, inter herpetes numerare nullus dubito. Optime ſic confuſionem evitaſſe mihi videor, diſtinctionem hancce interim nemini obtrudens.

Sed quam incepi *H.* puſtuloſi deſcriptionem proſequi me oportet: Eruptionem antecedere ſolet febris quandoque ſat gravis, facta eruptione, ut plurimum ceſſans. Non raro interim mitis & benigna perſiſtit, tempore decubitus exacerbari ſolita, vigiliis, jactatione inquieta, calore aucto & ſiti ſeſe prodens *a*). Plerumque ſemel atque ſimul provolat *H.* puſtuloſus, non raro interim veſpertina praecipue perdurantis febris exacerbatione denuo alia oritur efflorеſcentia vel in loco remoto, vel in partes vicinas ſerpit exanthema cutim jam tegens. Abſente quoque omni febrili motu augmentum ſaepius ſumit haecce puſtulatio, per plures dies, imo ſeptimanas protracta. Replentur ſero pellucido, cujus pars tenuior vel omni ex parte reſorbetur, vel non. Prius ſi fit ſicceſcunt puſtulae, relictis cruſtulis minimis ſponte cadentibus. Ut plurimum autem, for-

a) R. MORTON tract. de febr. infl. Cap. II. pag. 10. in Oper. Amſtel. 1696. TURNER l. c. 138.

forte ab acrimoniam majorem, lymphatica vaſa effuſum hocce ſerum ſuſcipere recuſant: Accedit igitur exulceratio, rumpuntur puſtulae, acerrimus exſudat humor, peſſime ſaepius olens, nec raro vicinas partes contagio afficiens. Materia effluens eius interdum eſt tenacitatis, ut arctiſſime res ſuper impoſitas parti adfectae agglutinet in magnum aegroti incommodum. BELL l. c. 224. Inde *H. cruſtaceus* autorum. Ut plurimum multae ſibi adſtant puſtulae, confluentes quaſi, quandoque autem ſingulas videre licet. Diſcretae vel ſint, vel plurimae cohaereant, baſin atque ambitum habent inflammatum. Gradus vero inflammationis multum variat, quandoque enim nullius eſt ponderis, ut plurimum autem calore inſigni urente vexat, atque rubor diffuſus in partes vicinas ſeſe ſpargit.

Nec ſolam partem affectam exercet hocce morbi ſtadium, quod febrile dicere forſan poſſes, ex dolore caloreque urente, quamvis pulſus celer aliaque febris ſigna ſaepius deficiant. Non raro enim adſunt pectoris oppreſſio, digeſtio laeſa, nox inſomnis, &, ut brevi dicam, illa conditio, quam *aegritudinis* nomine optime ſalutares. Haecce autem ſymptomata non ita multo poſt factam eruptionem evaneſcunt, perdurantibus interim puſtulis, praecipua erga partem affectam ſide eſſe ſolidis. Decreſcente morbo ſerum puſtulas replens fit turbidum, atque circulus intenſe ruber palleſcit. Eo ipſo imminutam eſſe morbi ſaevitiam intelligimus. Frequentius interim temporis ſucceſſu priſtina recrudeſcit ſors febrilis, vel ex puſtularum inflammatione, vel ſuccreſcentibus aliis, novo quaſi impetu. Rariſſime niſi adhibitis repellentibus externis ſponte recedunt, aegrum peſſime afficientes. POUPART pag. 98.

Pruritus maximus adeſſe ſolet, qui perferri ſaepius non poteſt, & vel invitos aegros ad ſcalpendum cogit.

Do-

Dolori idcirco pruritus moleſtus cedit moleſtiori, effluit humor acerrimus, haud raro inflammans, & vicinas partes contaminando foedum cutis morbum ulterius diffundens. Interdum etiam verus ſimul effluit ſanguis. Nova ſenſim cruſta denudatas pariter ac proxime adjacentes partes tegere incipit, materiae acri ſubtus collectae exitum denegat, pruritum denuo ciet, & ecce eadem fiunt, quae ſupra pruritum ſequentia expoſui. Haecce vero cruſta neque ſcabendo, neque alio quovis modo dejecta, majori vel minori temporis ſpatio ſponte ſolvitur, & diverſiſſimam ſubjectae cutis indolem exhibet. Modo enim integra eſt, tenella, roſei coloris, ut ſana plane eſſe videatur, modo autem tubercula aſpera non dolentia, parum vel nihil prominula reſtant, quae brevi denuo effloreſcunt, priſtinam omnino ſcenam ludentia. Interdum etiam ex cute rubicunda absque praegreſſa nova efflorеſcentia, materies exſudat acris, in cruſtas iterum indureſcens prioribus omnino ſimiles. Sed non ſemper benigna ea eſt cutis facies: Nonnunquam enim, ſi acrimonia fuerit major, eroſa apparet, atque tunc *H. exedens*, infra deſcribendus, dici meretur.

H. puſtuloſus parvas ſolummodo partes affligit, nec magnam ſimul cutis regionem petere ſolet. Saltim in morbi initio ſic ſe habet res. Saepius vero ſemper latius ſerpendo in vicina furit, omnia opprimere minitans. Hoc praeſertim fit, ſi cauſae ſemper perdurant, quotidie augentur, atque in dies reiteraratam inflammationem inducunt, porro ſi aeger pruritum non ferens admotis digitis, humores cruſtis ſubjacentes elicit, atque in finitimas partes effluere patitur. Horum omninm concurſus ſaepius unica cruſta magnam cutis partem obducit, quidquod non raro integrum crus POUPART l. c. 69, femur, brachium &c. eo tectum fuiſſe legimus.

Partes quas haecce ſp. potiſſimum obſidet, ſunt manus, brachia, pectus, lumbi, ani ambitus, genitalia atque femora. Non deſunt tamen obſervationes, quae & in alias eam ſaeviiſſe docent. Exp. LORRY nunquam *miliarem* faciei infeſtum vidit, mihi vero ſemel in fronte adulti vidiſſe contigit: tenuerat autem, cum primum invaderet, capillatam capitis partem, demum etiam ad ſinciput propagatus, priſtinum locum deſerens. Faciem, praeſertim labia, miliari h. obnoxia eſſe annotat POUPART *Zuſäzze 6.*

Ad hancce ſpeciem quoque referenda videtur, quae aliis *benigna* audit, vel *Feu volage, Dartres volantes.* Soli fere faciei hoſtiles impetus parat, nec tamen aliis corporis partibus omnino parcit. Conſtat puſtulis rubicundis, ſolitariis, vel coagmentatis, dolentibus, ſuppurantibus, brevi deſquamantibus. His ſi repellentia admoves, *puſtuloſum h.* ſaepius efflorеſcentem videbis, ut ipſe aliquoties, imo in memet ipſo, expertus ſum.

Nunc ad ultimi gradus delineationem accedo, *erodentis, depaſcentis, eſthiomeni* nomine omnibus formidabilis. Eaedem ut in praecedenti adſunt puſtulae, eaedem cruſtae & fiſſurae, idem pruritus, & revera, quae intercedit differentia in majori morbi gradu unice latet. Materia effluit copioſiſſima, tenuiſſima, acerrima, cuticulam, quae inflammata adjacet, erodit, inque ulcuſculum mali moris mutat. Nec raro ipſam cutim perdit, imo ad muſculoſas usque partes penetrat aſperrime ſaeviens, quidquod linteamina, quibus teguntur non raro corrodit. Cruſtae ob materiae acris frequentiam & majorem pruritum non illud tempus exſpectant, quo ſponte cadere poſſent, ſed detractae corruptioni adhuc majori favent, & malum in dies latius ſerpere, altiusque penetrare faciunt. Acutior eſſe ſolet decurſus, ut quotidie fere morbi incrementum cernere

liceat.

liceat. Puſtulae indolis illius malignae, in morbi initio ſolitariae eſſe ſolent, raroque plures ſibi invicem adſtant. Circulus eas ambit inflammatus, ruber, eadem progreſſione ulterius ſeſe diffundens, qua puſtulae grandeſcentes majorem locum occupant.

H. exedens nunquam fere eſt morbus primarius: vel enim praegreſſam aliam exanthematis cutanei ſpeciem excipit, vel ſaltim materies acris intus deliteſcens continuo irritando ſui praeſentiam diu jam manifeſtavit. Faciei praeprimis infeſtus, hanc deformem admodum quin deſtabilem reddit, atque demum ſanatus, vel alias partes invadens, non raro cicatrices relinquit, magis adhuc ingratas atque defoedantes. Eos quoque ſaepe tenet locos, ubi natura acres humores ſecernere ſolet, *inguina* nempe, *perinaeum*, *partes genitales*, *aurem internam* atque *externam*.

Plura adhuc obvia ſunt cognomina, ad tertium huncce gradum apponenda: diſtant paululum ab invicem ratione efficaciae. Leviſſimus eſt *vivus* ille, acutiſſimus cui *cancroſi* nomen eſt, *phagedaenicus* huic maxime propinquus ſequitur *phlyctaenoden* ſecundo loco ponendum. Omnes vero communi titulo *h. exedentis* optime ſalutantur.

Mentagra Plinii, *H.* topicus, huc etiam referenda erit. Hujus hiſtoriam ſcire qui cupit, adeat Joh. Renii diſſ. ſupra laudatam.

Denique rariorem quandam *H.* ſpeciem adhuc deſcripturus ſum, a perpaucis obſervatam *follicularem* nempe vel *tubercularem*. Loquitur de ea Niccolo Pattuna, cujus fuſiorem deſcriptionem *a)* paucis hic

a) Dell Erpete Trattato Venezia. 1729. 4. pag. 63, 70, 72. Librum huncce rariorem cum plurimis aliis exhibuit mihi Perill. Baldinger, praeceptor ad cineres uſque colendus.

hic repetere placet. Rariſſimus omnium occurrit, non niſi ſyphiliticis infeſtus. Incipit duritie quadam dolente, profunda, rubra, aliquando livida, haud multum elevata. In dies creſcunt hi tumores atque oculis ſeſe manifeſtant. Suppurati cum magno ardore fundunt lympham acrem, mordacem. Cutis, tuberculum tegens ſuppuratum, mortua eſt, livida, ſenſu privata. In fundo ulceris obviam eſt folliculus, materia duriſſima calloſa, carni mortuae ſimili, repletus, inconſtantis figurae, coloris albicantis. Exemta hacce materie, fortiter impacta, reſtat folliculus exulceratus, in fundo ſuo ruber, in ambitu magis dolens. Ulcera habet haecce ſpecies multo majora ac in *H.* corroſivo, eodem vero modo ſerpunt & creſcunt. Interdum etiam non deſtructa cute, inter duo tubercula media, coniunguntur plura ulcera per ductum ſubcutaneum.) In ambitu ſemper quaedam remanet durities diffuſa. Quandoque febris veſpertina ſupervenit, & quidem frequentius ac aliis *H.* ſpeciebus. Species tubercularis quandoque eſt primarius morbus, frequentius vero h. corroſivum male curatum excipit, aut ſaltim ei jungitur.

CAPUT V.

De diagnoſi nonnulla.

Strata jam via eſt in elaboranda morbi diagnoſi. Quantum vero hic occurrat difficultatis paſſim jam monui. Gratiſſimus igitur omnibus erit triumphus, quem hodie therapia generalis reportare incipit, de quo laetabor, uſque dum ſpecifica cujuscunque morbi in vulgus prodiere, ſemper deſideranda, nunquam detegenda. Abjectum medentis animum excitare valet methodus univerſalis, quam in curandis cutaneis morbis chronicis

nicis ſequuntur artis peritiſſimi feliciſſimo cum eventu. Dantur quidem remedia, quae ſingulari in exanthemate peculiares ſibi promeruerunt laudes: ſed nec ſemper ſunt auxilio, nec in alia ſpecie nocent, ut potius idem remedium diverſiſſima cutis vitia ſaepius ſuſtulerit.

Iuvabit interim, ſigna quaedam noſſe, quibus a maxime vicinis diſcrepat morbus, inter quos praecipue *ſcabies*, *eryſipelas* & quodammodo *lepra* occurrunt. Quomodo a *lepra* dignoſcatur uberius expoſuit Io. Astbury *a*). Diſcrimina h., quae intercedunt & eryſipelas ſupra jam propoſui de *zona* verba faciens *b*). Quibus a *ſcabie* diſtinguatur, jam annotabo. 1. Scabies nunquam fere cum febre oritur, h. vero puſtuloſus, nec alius cum ſcabie permutari poteſt, ſemper vel febriculam praegreſſam ſequitur, interdum ſat validam, vel etiam ſymptomata febrilia concomitantia habet. 2. Scabies fere ſemper primum manus, ac digitorum interſtitia occupat, quae rariſſime vel nunquam herpeti prima dant ſtamina. Levi *c*) contendit, *brevi tamen tempore manus corripi, contagium licet alia corporis pars ſuſceperit. Quod niſi fiat*, pergit, *vera non adeſt ſcabies.* 3. Scabiei major jungitur pruritus, qui in h. quandoque levis adeo eſt, ut pro nullo haberes. 4. Non ea inflammatio ſcabiei puſtulas ambit, quae in herpete ſemper videtur. 5. Symptomata orientem *H.* comitantia affectionem ſyſtematis univerſi arguunt, (niſi a contagio pendeat herpes) in ſcabie morbus magis cutim ſolam obſidet. 6. Scabies plures ſimul invadit partes raro h., qui lento admodum gradu procedit, ſed tarditate gravitatem ſupplicii compenſat. 7. Scabies ut plurimum ſolis externis unguentis ſulphuratis, cito, tu-

N 5 to

a) Diſſ. de morbis cut. Edinb. 1781. 8. pag. 18-20.
b) Cf. quoque Isenflamm reſp. Iacobi de morbis cut. Erlang. 1771. 4. pag. 21. & Pitner l. c. pag. 16.
c) Diſſ. de varia ſcabiei indole. Gött. 1790. pag. 14.

to atque jucunde tollitur; non ita *H.* 8. Rarissime *a*) nec nisi in morbi summo gradu faciem occupat scabies, quae ab h. minime immunis est. Negandum interim non est in iis, quorum manus arduis laboribus corneam fere duritiem contraxerunt, scabiem quandoque nullam videri in manibus, sed efflorescere eam in aliis partibus, imo primario in facie. 9. Contagio facillime propagatur scabies, hinc etiam raro sporadica; sed semper epidemica esse solet. *H.* vero contagiosus *adeo* non est, & sunt, qui omnem ex contagione ortum denegare non dubitant: De his vero suo loco. 10. Insitio sanis scabiem haud difficulter impertitur. Idem an de h. valeat, tentatum non est. Pericula instituere mecum constitui, eorumque eventum publici facere juris. 11. Scabies fere morbus est infimae sortis hominum, immunditiei maxime deditis infestissimus. Pravum huncce delectum *H.* non facit: Delicatior est, laute viventibus potissimum solennis. 12. Verno & aestivo tempore acerbissimus est *H.* frigoris impatiens. Scabies vero ipsi hyemi non cedit. 13. Humor, qui ex pustulis scabiosis effluit, acrimoniam nullam quandoque habet, ut viderim canes avidissime lambendo eo delectatos. *H.* materiem cane pejus ac angue omne fugit animal. 14. Materies scabiei saltim in morbi progressu puri spissiusculo similis est: *H.* humorem exhibet tenuissimum. 15. Odor in *H.* adest peculiaris, quem *putridum & languidum* dicit LORRY l. c. 315. *empyrevmaticum* vero TRAMPEL l. c. 104. 16. Raro vel difficulter admodum sudant, qui h. vexantur, eorumque cutis sebo inuncta videtur. TRAMPEL l. c. 104. 17. Scabies rarissime confluens adeo est, ac *H.* & si etiam magnam corporis partem occupet, nunquam tamen ex communi centro au-

a) Nunquam hoc fieri asserunt Cel. WICHMANN *Aeteologie der Kräze* 51. SCHILLING de lepra in Perill. BALDINGER sylloge Vol. III. pag. 25. aliique plurimi.

augeſcit, ſed potius novae ſemper ab aliis diſtinctae oriuntur puſtulae. Contraria vero obviam ſunt in *H.* 18. *H.* centrum non raro primum deſquamando ſanatur, ut in cruſta inſula ſit quaſi, ab omni labe, excepto rubore, immunis. Haec nunquam in ſcabie eveniunt. 19. Scabies teſte LORRY 225 & aliis, tempore matutino potiſſimum vexat, *H.* vero hiſce horis quietus eſſe ſolet. Probe quidem ſcio inter haecce ſigna nullum eſſe, quod *ſolum* in facienda diagnoſi ſufficeret: nullum enim *ſemper H.* commune eſt, pauca tantum a ſcabie *ſemper* aliena ſunt. Sed *plurium concurſus* ancipitem determinabit, quo morbum dubium ſalutet nomine.

In recitandis, quae mihi innotuerunt, criteriis omnia, quantum video, recenſui ſymptomata *H.* maxime familiaria: brevitati ſtudens repetere igitur nolo, quae jam hocce loco, partim cum morbi decurſum enarrarem, expoſui fuſius. Haec ergo ſi conferas illis, genuinam *H.* notionem tibi finges facile. Circa diagnoſin igitur non amplius moror.

CAPUT VI.

Cauſas enumerans.

De cauſis *H.* acturus non parum animo angor. Qui enim omnes enumerare poſſem, ſi tot *H.* producere valent, quot exiſtunt cauſae morbificae. Quo vero in ea dicendorum multitudine quodammodo ordinem ſequar, atque confuſiones evitem, juvabit certe cauſas in *praediſponentes occaſionales* atque *proximam* diviſiſſe.

Cauſa proxima *ex concurſu omnium remotarum nata, ſola, integrum morbum ita conſtituit, ut indiſſolubili nexu cum*

cum eo cohaereat. GAUBIUS §. 60. Eam vero in *acri quodam humore* ponere non dubito, & autores omni mea laude majores mecum consentiunt *). Confirmant idem plurima phoenomena. Omnes H. causae eius sunt idolis, ut acrimoniam quandam humoribus addant. Repulsum porro H. excipiunt symptomata, quae ab irritatione pendent, & alios efflorescens H. ab hujus generis molestiis liberat. Operam igitur perdere crederem, si pluribus probare contenderem, causam proximam H. in acrimonia quadam esse quaerendam. Nec placet hic disquirere, utrum haecce acrimonia a vitio solidorum secundario pendeat, vel corruptioni primariae fluidorum sit adscribenda, integris interim solidis. Utrumque locum habere videtur: sententiam explicare vetat temporis angustia.

Sed quae hujus acrimoniae est natura? Adeo extra omnem perceptionis campum posita videtur haecce cognitio, ut ignorantiam hic confiteri neminem dedeceat. Fuere autem, qui intima naturae penetralia adire conati sunt, & varias admodum nobis exhibuerunt — *coniecturas.*

Veteres bilem h. esse causam proximam affirmarunt. Hos secuti sunt medii aevi scriptores uno ore omnes, nec desunt nostra aetate viri maxime conspicui, haec qui sustentent veterum placita. LIEUTAUD **) de *H.* verba faciens, hepar in omnibus morbis cut. saepissime laedi asserit, bilemque ideo accusare videtur. Clar. PLENCK l. c. 63. H. causam materialem esse peculiarem acrimoniam biliosam chronicam in glandulas cut. depositam contendit. Exp. RETZ vero omnium exanthema-

*) R. A. VOGEL Praelect. §. 707. UNZER *Med. Handbuch. Leipzig* 1789. S. 464.

**) *Inbegriff der ganzen Med. Praxis*, Th. V. *Frankenth.* 1785. S. 196. Idem annotat EVERS *in* SCHMUCKERS *verm. Chirurg. Schriften* B. I. 187.

matum causam in bile ponit, *plethoram biliosam* ubique primas scenas ludere contendens, & Hypothesibus maxime dubiis alias promtus addit aeque ambiguas, rationi atque experientiae semper fere renitentes. — Quantae sint bilis partes in producendis morbis inter recentiores potissimum magnus ille STOLL, passim in ratione medendi, & Cel. REIL *) docuerunt; de exanthematibus autem hoc satis superque evicit Doctiss. WELTI **). Et sane in eo cutis consensu cum bilis officina, vel, ut rectius loquar, consueto habitationis loco, mirum non est, exanthematicos morbos saepius a bile pendere vel omnino vel saltim ex parte. Sed erraret maxime, qui unicam causam in bile haerere contenderet, omnes alias secludens. Omni quandoque culpa vacat bilis, uno verosimile est, non raro a bilis defectu H. quandoque oriri. Deficiente enim illa digestio est inordinata, hinc magnus admodum impuritatum in primis ac secundis viis fons.

Cel. TRAMPEL ***) empyreuma pro causa proxima habet, sequentibus ductus argumentis: 1. Aeger H. laborans difficilis ut plurimum sudat, & si sudaverit demum odorem spargit empyreumaticum ****). 2. Cutis plerumque est unguinosa, quasi pinguibus oblita. 3. Pingues atque obesi huic morbo magis patent. 4. Frequentissimus est H. iis in locis, ubi pisces rancidi unicum fere sunt nutrimenti genus. 5. Monachis morbus erat durior, quoties carnium loco solis piscibus vesci juberent religionis praecepta. 6. Ii qui verno tempore nasturtii succo utuntur saepius efflorescentiam herp. sunt nacti.

*) De polycholia, P. I. & II. Halae 1782, 1783. 8.

**) Diss. exanthematum fons abdominalis. Gött. 1784. 4.

***) *Beobacht. u. Erfahr. II B. Lemgo* 1789. 8. S. 104. seq.

****) Odorem huncce in H. quem vivum dicit, annotavit quoque POUPART l. c. pag. 9.

nacti. 7. Nec dispar ille cutis affectus est, qui usum decocti rad. piperis Methystici in Caraibicis insulis sequitur. — Non omnes vero herpetici piscibus abusi sunt, ideoque alium adhuc hujus empyreumatis ortum ponere debebat Clar. TRAMPEL, *mutationem nempe humorum nostri corporis in vasis extremis in acrimoniam empyreumaticam, herpeticam, per vires incognitas.*

Dudum jam Cel. BEIREIS me eosque, quibus hujus Viri praestantissimis institutionibus uti posse contigit felicitas, docuit, saepissime acrimoniam rancidam exanthematum chronicorum, praecipue H., esse causam, ideoque abstinentiam ab omni eo, quod rancidum generare vel augere posset, maxime commendat. Sed Trampelianam hypothesin defendere tamen non audeo, vereor enim, ne magis subtilis sit, quam vera, eaque universaliter praedicet, quae non nisi interdum locum habent.

Nec ergo *bilis* nec *empyreuma,* unica ac proxima H. sunt causa, nec *virus venereum,* nec *alia quaedam potentia nocens.* Nil ergo restat, quam ignorantiam hic ingenue fateri. Philosophicum enim seculum nostrum fertiliora fere non docuit, quam quae veteribus jam erant notissima — praesentiam nempe acrimoniae.

Sed cum acrimonia haecce universum corpus obsidet, an vero non nisi in parte affecta haeret? hoc neotericorum plurimi, illud vero crediderunt veteres. Multum certe ad praxin hujus quaestionis facit diiudicatio. Quae enim veteres maximopere commendabant sanguinem depurantia, inania esse placuit plurimis nostri aevi medicis, omnem efficacem medelam *topicam* esse affirmantibus. Veritas & hic in medio latere videtur. Corruptionem humorum universalem quandoque adesse commonstrant plurima: topicorum scil. omnium inertia saepius observata, imo noxii effectus non raro inde pen-

pendentes, utilitas catholicorum involventium, edulcorantium, aegritudo totius corporis, omnium functionum laesio potissimum ab irritatione, efflorescentia in pluribus imo omnibus C. H. partibus simul, morbi qui criticam metastasin materiei herpeticae ad cutim vel viscus quoddam praecedunt, vel ejus retropressionem sequuntur, &c. Verum enim vero non semper corpus in calmitatum partis cujusdam sui societatem venit: Saepius partem quandam usui oeconomiae universae impendit natura, & quod erat vitium ubivis reperiundum metastasi quadam in locum circumscriptum coacervatur. Sed non solo hocce modo explicari potest, quomodo topicum esse possit exanthema. HIER. jam MERCURIALIS dixit, *fieri quandoque cut. morbus ex humoribus, qui in partem boni devehuntur, ibique depravantur, ex partis hujus intemperie.* Docent plurima humorum temperiem pendere praesertim a vasis, quae permeant: exemplo est pus, quod per vasa laxa emollita secretum, crassum est & blandum, statim vero tenue fit ac acre, simulac irritantia admoveas ulceri. Porro ulcus impurum saniem generat rodentem acrem, quae remotis impuritatibus statim in pus bonae notae vertitur. Assimilatio cujusvis contagii certe hocce peragitur modo, nec immediata actione in fluida. Desunt saepius in H. acrimoniae in sanguine existentis signa, nec alia morbum comitantur symptomata, quam quae ex laesa parte affecta pendent. Maximum vero robur opinioni addit efficacia topicorum saepissime observata Destructa per vesicatorium cuticula omnis non raro evanuit morbus.

Verosimile igitur est, quandoque acrimoniam haerere in sanguine, quandoque vero non nisi partem affectam inde laedi. Cum vero in exhibito casu exacte determinari nequeat, num universale vel topicum adsit vitium, cumque topicum si etiam sit, tamen adjuvans quaedam

quaedam causa in sanguine haerere possit, cautioribus certe ii utuntur consiliis, qui sibi a topicis, nullo facto discrimine nulloque ad humores habito respectu, adhibitis valde cavent.

Quaerere denuo posset aliquis, num revera *in* H. *adsit materies specifica, sui generis, eadem omnino quae esset semper?* vel num, *qui ex tot, diversisque adeo causis oritur morbis, ex quacunque acrimonia cutim pertinaciter obsidente possit gigni?* His quaestionibus absoluta non datur responsio, usque dum exacte inter eruditos confectum sit, quos morbos H. dicere debeamus. Insitio, quam tentabo in patriam redux, plura quoque huc spectantia explicabit. Interim materiem adesse specificam non credo & quidem 1. ob diversam morbi faciem; 2. remediorum diversam efficaciam; 3. varias morbi causas non prius agere, quam in virus specificum mutatae sint, dubium videtur.

Causae praedisponentes praecipuae sunt:

1. *Haereditaria labes.* An dentur omnino morbi haereditarii adhuc sub judice lis est, sed dispositionem magnam ad morbos parentum admittendos saepissime inesse infantibus, non est, quod dubitem. De H. idem valet, imo sunt, qui occasionalem dicunt, quam inter causas disponentes recenseo, haereditariam labem. Exempla numerosissima ortum H. ex hoc fonte evincunt *a*). Congenitum se vidisse morbum autor est Cl.

a) Lorry l. c. 64, 104, 312, 150. Pattuna l. c. 97. Poupart 155, 195 & *Zusätze* 36. Roussel de variis H. speciebus, pag. 45. Störk libellus, quo contin. experim. & obs. circa nova sua medicamenta, pag. 175 seq. Lupini diss. de lichene Budae 1778. pag. 8. Raulin *Abh. von der Lungensucht mit Anmerk. von* Ben. Chr. Vogel. Wien 1788. I. 237. & II. 419. Carrère *vom Nachtschatten*, ed. Starke S.

Cl. TODE *a*): graviſſime autem more ſolito eum perſtringit Cel. GRUNER *b*), quod credidit imaginatione matris hoc cutis vitium in foetum tranſiiſſe.

2. *Sexus virilis.* IO. ASTBURY *c*) quidem mulieres maxime obnoxias eſſe H. contendit, ſed contrarium ex omnibus fere aliorum obſervatorum teſtimoniis elucet *d*).

3. *Aetas juvenilis vel ea ubi omne incrementum abſolvit corpus e*). EVERS l. c. 188 paucos vidit H. laborantes, qui annum 36 nondum transegerint. FR. HOME autem l. c. 469, 470. annotat in noſodochio ſuo, omnes H. laborantes, uno ſaltim excepto, fuiſſe annos natos 15 — 30.

4. *Omnia, quae perſpirationem minuunt.* Sordities. Habitationes humidae. BLUHM l. c. 146. Aer nebuloſus, regio paludoſa, aeris conditio ſubito mutata *f*).

5.

S. 95. TRAMPEL l. c. 119. BERTRAND de la GRESIE l. c. 18. Ill. BALDINGER *N. Mag. B. XI. St. I.* S. 171-174.

a) Soc. Med. Havn. Collect. Vol. I. Obſ. XIII. pag. 95.

b) Diſſ. reſp. MÜLLER ſiſtens naevorum origines, Ien. 1778. pag. 53, 54.

c) D. de morbis cut. Edinb. 1781. 8. pag. 18.

d) LORRY l. c. 50. 301. de la GRESIE l. c. 17. RETZ l. c. 27. FRANZ HOME *Clin. Verſuche, Krankengeſchichten und Leichenöfnungen. Aus dem Engliſchen Leipzig* 1781. S. 470.

e) LORRY loc. cit. 313. RICH. BROOKES *Handbuch der ganzen praktiſchen A. Gel. Aus dem Engliſchen Berlin* 1766. 8. T. II. pag. 479. WEDEL l. c. 17, 18.

f) LORRY l. c. 35. 313. NICCOLO PATTUNA l. c. pag. 89 ſq. Idem pag. 91. hiſt. narrat valde ſingularem. Femina H. laborans Venetiis ad Paduam iter faciens abſque ullis remediis adhibitis ſanabatur. Sanata urbem iterum petiit patriam, & brevi quoque aderat priſtinus H. denuo evaneſcens, cum Paduae per tem-

5. *Debilitas vasorum extremorum*, ergo reactio imminuta cut. omnibus morbis favet. ASTBURY l. c. pag. 21. Hinc est, quod ver eruptionem augeat, minuat hyems, frigore suo extrema vasa corroborando. Hinc etiam remedia maxime proficientia e stimulantium sunt numero. Huc quoque pertinet *habitus corporis tenerior*, vel saltim *delicata cutis compages*.

6. *Tempus vernum a*).

7. *Neglecta sanguinis missio b*), vel *suppressio haemorrhagiae consuetae*. EVERS l. c. 187.

8. *Abstinentia nimia a veneris exercitio.* LORRY 45. imaginariam hanc affert morb. cut. causam.

9. *Digestio laesa.* LORRY l. c. 42. Hanc depravando etiam *Vigiliae nimiae* ad cutis morbos proclivitatem inducere videntur.

10. *Animi affectus*, partim transpirationem imminuendo, partim secretiones turbando, depravando, LORRY l. c. 44, 314. POUPART l. c. 54. EVERS l. c. 186.

1. *Sor-*

pus quoddam commoraretur. Tertia vice ad Venetias profecta eundem mox contraxit H., quem vero nec Padua nec ullum aliud remedium sanare potuit: aegrotam accedentibus fluore albo, haemorrhagia & ulcere uteri trucidabat.

a) BISSET Eff. on Med. Constit. of Great Brittain. Lond. 1762. p. 123. POUPART l. c. 64 seq. HIPPOCRATES Aphor. ex Edit. LISTER Sect. III. Aph. 20. Io. ASTBURY l. c. pag. 17. Io. IAC. RITTER Morbona seu enumeratio morb. spontaneorum, quos 50 annorum intervallo sustinuit. P. I. Norimb. 1773 4. pag. 44. seq. H. quinquies sustinuit, hyeme evanidum, vere autem efflorescentem iterum. LORRY *Uebersicht der vornehmsten Veränderungen und Umwandl. der Krankh. A. d. Latein. Leipz.* 1785. S. 109.

b) L. HEISTER *Med. Chir. Wahrnehmungen*, B. II. nro. 219. SCHWARTZ de zona l. c. pag. 11. WEDEL l. c. 16. 19.

Demum caufas occafionales recenfebo:

1. *Sordes biliofae a)* primum merito locum occupant. Quanta fit impuritatum primarum viarum in cutim poteftas, notiffimum eft. Frequentiffimos ex hoc fonte oriri H. nemo eft, qui ignoret. Nec igitur damnandi omnino funt ii, qui evacuantium ufum neceffarium habent, imo omnem curam illis abfolvendam fufcipiunt. Methodum hanc fae faepius fuiffe auxilio, imo omnem quandoque juftae medelae cardinem in ea verti, quidem facilis dabo; fed modum certe excedunt, qui *femper* bilem vident: quae adeft, non raro forfan a perfpiratione per cut. morbum retenta producitur, ideoque morbi effectus eft, quam pro caufa habent.

O 2 2. *Acari.*

a) Hippocrates Praedict. L. II. Sect. 2. vs. 325. Galenus de tumoribus praeter nat. Cap. IX. Avicenna Fen. 3. Cap. VI. Oribasius Compend. Med. Cap. XXXIII. Corn. Celsus L. V. Cap. 28. Ambr. Paraeus L. VI. Cap. 14. Aetius L. XIV. Cap. 61. Fabr. ab Aquapendente L. I. Cap. XX. pag. 180. Hier. Fracastorius de morbis contag. Lugd. Bat. 1554. XIIto. L. II. pag. 257. Paul. Aegineta Lib. IV. Cap. 20 Paracelsus L. V. Cap. III. Gockelius in Gallicinio fuo pract. Confil. med. Cent. II. Confil. XLVI. & Obf. med. Dec. III. Obf. I. Wedel l. c. 16. Clar. Musitanus de tumoribus praeter naturam, Cap. XII. Forestus Obf. Chir. L. II. fchol. ad Obf. V. Tulpius Obf. Med. Amft. 1672. pag. 256. Turner *Abh. von den Krankheiten der Haut, Altenb.* 1766 pag. 136. Rich. de Hautesierk l. c. Vol. I. 206. Lorry 314. Plenk l. c. Retz l. c. Reil l. c. P. II. 91. 144. Stoll Praelect. I. pag. 145. Bang Act. Havn. Vol. I. pag. 357. Hausleuthner (praef. Goldhagen) an facile carere poffimus acrimoniarum vocabulis, Halae 1784. p. 16. Welti l. c. pag. 55-57. Diff. fur l'utilite des evacuans &c. Strasburg 1783. 8. De Meza in Soc. Med. Havn. Collect. Vol. II. P. II. pag. 225. Evers l. c. 168. Pitner l. c. p. 10. III. Selle Med. Clin Edit. 4. 217.

2. *Acari.* Pathologiam animatam a pluribus, & inter recentiores praecipue ab Illuſt. a LINNE *a*) & Clar. PLENCIZ *b*) defenſam, ad H. etiam applicarunt nonnulli *c*). Sed quae objecerunt praeceptores pie colendi viri illuſtres CRELL *d*) & BALDINGER *e*) tanta ſunt, ut de acaris fere ſileant omnes *f*).

3 *Ingeſta acria g*), Aromata *h*), Piper *i*), Antiſcorbutica fortiora diutius propinata *k*) praeſertim vino remixta.

a) Exanthemata viva in Amoenitat. acad. T. V. p. 94.

b) Opp. Med. Phyſ. & praecipue in tract. *de Contagio.*

c) BORELLUS Obſ. Microſcop. XXVIII. Io. IAC. SCHWIEBE (praeſ. AUG. QUIR. RIVINO) diſſ. de pruritu exanthematum ab acaris, Lipſ. 1722. pag. 13.

d) Diſſ. inaug. Contagium vivum luſtrans, Helmſtad. 1768. 4.

e) *Progr.* Exanthemata non a vermibus oriri, Ienae 1772. 4. rec. in GRUNERI Delect. Diſſ. Med. Ienenſ. Vol. II. pag. 89.

f) Conf. etiam KURELLA *Beweis, daß die Ausſchläge nicht von Würmern entſtehen, Berlin* 1750. MURRAY Comm. de vermibus in lepra obviis. Gött. 1769. SCHMUCKER *verm. chir. Schriften*, III. p. m. 199. IAEGER ſpecilegium de pathol. animata, GÖTTING. 1775. LORRY l. c. 230. 231. GE. HENR. TOEMLICH de ortu exanthematum. Ienae 1785. §. VI. Io. CHR. IONAS dubia quaedam circa aetiologiam WICHMANN. Scabiei. Halae 1787. quam in vernaculam linguam translatam recudi curavit Amiciſſimus E. DOERING in Perill. BALDINGER *Neuem Magaz. B. XI. St. I.* IACOB LEVI de varia ſcabiei indole. Götting. 1790. Io. CHR. REIL reſp. Heydrich Spec. ſiſt. quaedam circa pathol. morb. contagios. Halae 1790. 8. p. 13 ſq.

g) PATTUNA l. c. 93, 94. BLUHM l. c. 146.

h) LORRY 39. 42.

i) ZACUTUS Med. Princ. hiſt. L. I. Obſ. 17. p. m. 135. FORSTER *Bemerk. auf ſeiner Reiſe um die Welt*, pag. 415. 419.

k) TRAMPEL l. c. 107.

mixta LORRY l. c. 40. Vinum meracum, ibid. Salis abusus *a*).

4. *Acria externe applicata, vel per cutim resorpta.* LORRY l. c. 35. PATTUNA l. c. 79. Huc pertinet Lana ovium morbo tetro defunctorum, de qua loquitur VIRGILIUS *b*), Tactus toxicodendri *c*) Fonticulus cuti admotus *d*), Collare smalto vel alia tinctura acri coloratum *e*). Cerdones ex hac causa saepius H. laborant, testantibus id PLENK l. c. 63, & GOHLIO *f*). Zona nimis arcte constricta H. gignit periscelim — dictum. Nec raro emplastrum irritans cuti sensiliori admotum eruptionem herpeticam gignit, quod aliquoties factum ipse vidi.

5. *Acidum primarum viarum.* RUD. BUCHHAVE *g*) saepius inde in infantibus visos H. descripsit.

6. *Virus venereum h*) plurimos H. gignit, sed non omnes ex hoc fonte licet orti mercurialibus cedunt.

a) MENTZELIUS in M. N. C. Dec. III. A. 5. Obs. 204. ETTMÜLLER Opusc. T. II. P. I. pag. 525.

b) GEORGICOR. L. III. in fine.

c) MONTI Comment. Bonon. T. III. pag. 163. GLEDITSCH in Mem. de l'Acad. de Berlin 1771 pag. 61. WEIGELS *Anmerk. zu* de MORVEAU's *Anf. Gründen der Chemie. Band* 3. S. 263.

d) TISSOT Epist. med. pract. Lausannae 1770. 8. Ep. II. ad HALLERUM pag. 320.

e) BOISSIER de SAUVAGES l. c. T. II. P. I. pag. 20. PLENK l. c. 62, 63.

f) Act. Med. Berolin. Dec. I. Vol. V. Sect. II. nro. 34. pag. 53.

g) Act. reg. soc. med. Havn. Vol. I. HAVNIAE 1783. nro. 24. vel JOURNAL *für Geburtshelfer St. I.* pag. 49-62. Conf. etiam POUPART l. c. 132.

h) ASTRUC de morbis vener. L. IV. STOLL Praelect. I. 145. 287. II. 347. 353. CARRERE l. c. 106. de la GRESIE l. c. 16. 60. 68. POUPART l. c. 43.-52.

&

dunt. Virus gonorrhoicum ſuſpectum habet Ill. SELLE *a*).

7. *Virus ſcrofuloſum b*).

8. *Scorbutus.* Ex hoc fonte oriri poſſe H. dubitare videtur Cl. BELL l. c. 225. Sed ſcorbuticos ſe H. vidiſſe affirmant plurimi *c*).

9. *Morbi imperfecte iudicati.* Variolae *d*) Morbilli *e*) Eryſipelas *f*) Febres praeſertim bilioſae *g*) Scabies *h*).

10. *Haemorrhoides, praecipue ſuppreſſae i*).

11. *Men-*

& *Zuſäzze* II. 12, 39. LORRY l. c. 313. GIRTANNER l. c. 290. BLUMENBACHS *Med. Bibl. B. I.* nro. 21. S. 43. Ill. FRIZE *Handbuch über die veneriſchen Krankheiten. Berlin* 1790. pag. 230.

a) Med. Clin. 257, 258.

b) STOLL Praelect. I. pag. 33, 45. LORRY l. c. 314. VOGEL in notis ad RAULIN l. c. T. I. S. 225. SELLE Med. Clin. 257. 232. 244. 245. POUPART l. c. 53.

c) LORRY l. c. 314. de la GRESIE 16. POUPART 37, 52, 106-109. 182 & Zuſ. 14, 26. WEDEL diff. cit. 20.

d) SCHILLING de lepra rec. in Perill. BALDINGERI Sylloge Vol. III. pag. 33. LORRY l. c. 63, 64. ACKERMANN l. c. 163, 164.

e) Ill. SELLE Rud. Pyretol. meth. Berol. 1789 170. ACKERM. Med. *Skizzen I. Heft. Leipzig* 1790. S. 44.

f) Io. LUD. SEEBER D. de pruritu, Lipſ. 1756. p. 25. de la GRESIE l. c. pag. 65.

g) GRANT on ſevers 365, 380. Dabadie apud Riverium Obſ. commun. pag. 283.

h) de la GRESIE l. c. pag. 51. 99. IONAS in BALD. *Magaz. B. XI.* St. 1. S. 13-14. POUPART l. c. pag. 23, 32. & Zuſ. 8.

i) PATTUNA l. c. pag. 96. LORRY l. c. 50. 134. POUPART l. c. 42, 43. LORRY *Umwandl.* l. c. 264.

11. *Menſium ſuppreſſio a*).

12. *Perſpiratio retenta b*) Egregie ergo BOERHAAVE l. c. pag. 7. frictionem corporis eiusque frequentem exercitationem commendat.

13. *Urinae ſeceſſio imminuta:* Urina rite niſi ſecernatur, vel ſecreta ob excretionis quoddam vitium iterum reſorpta maſſam humorum intret, ſemper hanc alienare debet *c*). Talis vero oritur conditio, quae H. aeque ac alia exanth. ſaepius producit *d*). Fortaſſis etiam H. *lactentium* BUCHHAVII ex imminuta urinae ſecretione oritur quandoque: ſaltim infantibus haecce ſecretio ſaepiſſime turbatur.

14. *Lactis metaſtaſis e*).

15. *Lochiorum ſuppreſſio f*).

 16. *Con-*

a) PATTUNA l. c. pag. 54. HARNISCH in Philoſ. Transact. Vol. 39. pag. 200. LORRY l. c. 50, 51, 70. 98, 313. POUPART l. c. 41. 71, 72. de la GRESIE l. c. 54. 75. THILENIUS l. c. nro. 8.' pag. 178. PLATERUS Obſ. L. II. pag. 509. ROUSSEL diſſ. cit. 55.

b) LORRY l. c. 88, 151, 313. PATTUNA l. c. 95. PITNER diſſ. de H. BUDAE 1780 pag. 13. SCHILLING de lepra l. c. pag. 25. de la GRESIE l. c. 72. POUPART l. c. 39. RAULIN. l. c. T. I. pag. 223 ſeq. RICHARD de HAUTESIERCK Receuil. d' Obſ. de Med. des hopitaux militaires, T. I. Paris 1766. 4. pag. 205. THILENIUS l. c. 200 ſeq.

c) SIMON NEUBURG de acrimonia urinoſa in C. H. retenta, Götting. 1783. F. H. L. SCHWARZE, *amici probatiſſimae fidei*, diſſ. lotii ſuppreſſio unde? Marburg. 1790.

d) LORRY l. c. 27. OLDENBOURG (praeſ. RÖDERER) de porrigine. Gött. 1762. §. 2. HAESELER de morbis ex lotio retento. Gött. 1779. p. 23. EVERS l. c. 191, 192. HOME l. c. 474, 475.

e) de la GRESIE l. c. 14. 17, 62. 100. POUPART l. c. 40. 47. NATH. BERENDT de lactis metaſtaſibus. Gött. 1780. pag. 39.

f) POUPART l. c. 40. GOCKELIUS Gallicin. Cent. II.

16. *Contagium.* Hancce causam negant MEZLER *a*), TRAMPEL l. c. pag. 108. BERTRAND de la GRESIE l. c. pag. 19. & Clar. REIL, qui l. c. pag. 55. morbos contagiosos enumerans de H. tacet. Dubitat quoque de H. contagio ASTBURY l. c. 20. nec unquam observavit HOME l. c. 469. Sed non fictitiam hancce esse causam, affirmant observatorum plurimi *b*). Dubius haereo, an unquam contagio affecerit H., & anne in contagio causam quaesiverint latentem, alibi reperiundam. Insitio omnia removebit dubia: Hanc si tentaverim, definite magis loquar.

Ea saltim hic non est contagii vis, quae omnibus, vel plurimis solo contactu morbum tradere posset: saepius enim, quibus cum herpetico commercium est, omnes ab hocce vitio immunes sunt. Verosimile igitur maxima non solum praedispositione opus esse ad concipiendum, si datur, contagium, sed & miasma nullum exserere effectum nisi diutius concentratum in cute haereat. Fortassis etiam ille solum H. contagiosus est, junctum sibi qui habet humorem effluentem.

a) *Von der Wassersucht, nebst einem Anhang über die Ansteckung.* *Ulm* 1787. S. 127.

b) PLINIUS histor. natur. l. XXVI. Cap. I. HIER. FRACASTORIUS l. c. HIER. MERCURIALIS l. c. 93. RIEDLINUS Obs. Med. Cent. I. Obs. 26. LENTILIUS Eteodrom. med. pract. an. 1709. pag. 710. RICH. BROOKES l. c. 458. PATTUNA l. c. 102. BAJON l. c. 37. PICHLER Mem. sur les malad. contagieuses, Strasb. 1786. Sect. III. CAMPARDONI in ROUX IOURN. de Med. T. 19. Obs. I. IO. NIC. BROC de impetigine Aug. Trevir. 1778. pag. 4. TODE in Soc. Med. Havn. Collect. Vol. I. pag. 95. BELL l. c. 226. LORRY l. c. 45, 157, 308, 311, 312. POUPART l. c. 54. 55. 56, 156. *Bemerk. über verschiedene wichtige Gegenst. der W. A. K. Braunschw.* 1782. S. 73.

5.

III.

GODEFRED. WILHELM. SCHILLING,

MEDIC. Dr.

DIATRIBE

DE

MORBO IN EUROPA PENE IGNOTO, QUEM AMERICANI VOCANT

YAWS.

ADIECTA EST

HECAS CASUUM RARIORUM IN PRAXI MEDICA OBSERVATORUM,

NEC NON

OBSERVATIO PHYSICA DE TORPEDINE; PISCE.

TRAJECTI AD RHENUM 1770.

DIATRIBE MEDICA

DE

MORBO IN EUROPA PENE IGNOTO,

QUEM

INDI OCCIDENTALES JAWS VOCANT.

§. 1.

Quanquam non ſim eo ingenii acumine, ut ad ſecretiora Naturae aditum mihi patere putem, ſpero tamen & confido, haud ingratam fore Naturae Curioſis brevem, quam edere conſtitui, Hiſtoriam Morbi in Europa pene ignoti, cujus obſervandi curandique frequentiſſima in Coloniis Americanis occaſio mihi fuit. Huic Morbo inter Americanos nomen *Jaws* eſt, quod quidem vocabulum in Medicorum libris fruſtra quaeſiveris: mihi autem originem videtur e Scotica Lingua traxiſſe, & primo commune fuiſſe pluribus morbis exanthematicis, id eſt morbis, qui cutem corporis infeſtant; deinde vero huic peculiari cutis vitio tributum.

§. 2.

Hoc malum pari ſaevitia, nullo aetatis, ſexus aut temperamenti diſcrimine habito, in Aethiopes graſſatur; ut tamen infantilis aetas ei maxime ſit obnoxia. Senes eo rarius, ſed atrocius affliguntur, cujus quippe tanta in ſenili corpore eſt pertinacia, ut omnem fere medelam irritam reddat. Itaque plerique in provectiore aetate eo afflicti intereunt, aut laboribus haud amplius idonei

idonei reliquam vitam misere & cum Dominorum detrimento trahunt. Minime ergo mirum est hoc morbo nondum defunctis Mancipiis exiguum esse pretium. Non dubius semper est ejus eventus sicuti variolarum, cum quibus etiam diversos saevitiae gradus communes habet. Quoniam autem Aethiopum corporibus prae caeteris imminet, hinc in Mancipiorum emptionibus inquiri solet, hunc Morbum passa sint, nec ne? At vero signa, quae declarant, morbum periodos suas absolvisse, (alioquin enim ejus reditus, vel ut loquuntur, Recidiva metuenda est) admodum fallacia & ambigua esse, paulo post ostendam.

§. 3.

Invadit autem haec pene dixerim pestis hominem cum horripilatione lentaque febri; quae symptomata plerisque vix observatu digna videntur. Suspicionem in corporibus huic malo obnoxiis de ejus praesentia augent, succedens lassitudo, appetitus prostratus, lumborum & capitis dolores, noctu exacerbati, & somnum arcentes. Caput etiam pauxillum inflari observatur; quo quiedem indicio cognoscimus eruptionem mali in propinquo esse. Enarrata tamen symptomata in illis tantum ordine, quem indicavi, sese manifestant, in quibus malum regularem typum & consueta sua stadia decursurum est. Contra alii, qui hoc virus in se gerunt, ulceribus vexantur difficillime sanandis, & a Medicamentorum usu exasperari solitis; quae si tandem remediis cedunt & se sanari patiuntur, id futurae eruptionis satis certum indicium esse expertus sum.

§. 4.

Ipsa eruptio pustularum *Jaws* lento admodum gradu procedit, ut quandoque aliquot hebdomades ante prae-

praetereant, quam conſpicuae & notabiles puſtulae aliquo numero formatae ſint. Quod ſi ordine ſuo morbus decurrat, cum ſymptomatibus praecedenti paragrapho memoratis, puſtulae plerumque in facie, fronte, collo, cervice, praeſertim in laringe, maxime circa ſic dictum *pomum Adami* emergunt. Fundum habent planum, figuram cuneiformem, apicem album, interdum lividum, doloris fere expertes ſunt; lente ut dixi erumpunt; ſeptimanam integram, quandoque plures perficiendo operi Natura impendere ſolet, quo perfecto febricula decreſcit, omniaque alia enarrata ſecundum dictum ordinem deſaeviunt. Jam rite procedit digeſtio, & excretiones, ſymptomata, aegrum deſerunt; redit appetitus; aegrum intus convaluiſſe crederes. Interim Morbus atrocitatem ſuam in corpore exercet.

§. 5.

Puſtulae in cutis area, quam occuparunt ſenſim increſcere, & puris materiem praebere, ſolent; pus tamen prorſus abſimile ei, quod in corpore Euchymo generari ſolet, deprachenditur; tenacius enim eſt, & rodendis partibus, quas obſidet, aptum. Vidi ſane haec Ulcera ipſa oſſa exediſſe; & niſi Medicus voraci acrimoniae obviam eat, aures, naſum, labia, oculos, terribiliter corrumpunt, deformant, nec facile cedunt Medicamentis ex Europa afferri ſolitis, quin iis exacerbata aegrum crudeliſſime interdum affligunt.

§. 6.

Interea temporis, quo facies ad dictum modum ulceribus laborat, in aliis quoque partibus corporis, praeſertim in extremitatibus, malignae exſurgunt puſtulae. Omnem tamen eruptionem, in quacunque corporis parte futura eſt, praecedit febricula veſpertino

tino tempore corpus invadere ſolita, ex cujus viribus eruptionis modus aeſtimatur; lentior enim tardiorem cauſatur eruptionem, tantoque magis aegri vexantur inſomniis, nocturniſque doloribus oſteocopis, interdiu melius habent. Segnis aut ad laſſitudinem proclivis inertia eruptionem retardat. Qui laxo & ſpongioſo ſunt corporis habitu, in deplorabilis Cachexiae indeque oriundae Leucophlegmatiae & Hydropis periculo verſantur; graciles contra non raro tabeſcunt: Utrique tantis doloribus excruciantur, ut pertinaciſſimo Stoico commiſerationem excitarent. Exoſtoles in articulationibus ſubnatae dura oſſa interdum adeo tendunt, ut ulceribus ſanari neſciis anſam praebeant, a quibus oſſeae partes carioſae redditae magno cum foetore excavantur. Sunt qui Paralyſi inſanabili corripiuntur, in brachio, manu, crure aut pede alterutro, quae perdomita licet violentia, quam *Jaws* in corpore exercet, nullo relicto incommodo, ſi immobilitatem partis excipias affectae, aegrum caetera ſanum per reliquam vitam tenet.

§. 7.

Operae pretium fuerit Morbi typum diſtinctius enarrare, quo magis ejus indoles declaretur. Notandum igitur, naturam ſi ſuetum ordinem obſervat, perficiendae eruptioni trium menſium ſpatium impendere; atque opus ſuum facilius exequi in aegris, qui labore & motu corpus exercent, aut ad ſubeunda Corporis exercitia vi coguntur; inter quae quippe vis ulcerum in capite & collo decreſcere ſolet. Mirum autem eſt, quantum juſta & ex praeceptis medicis finienda victus ratio ad ſubigendum Morbum faciat; Quam qui ſequuntur, anni ſpatio morbum conſeneſcere atque emori experiuntur; in aliis vero qui a juſto diaetae regimine recedunt, identidem expertus

ſum

ſum unam alteramque puſtulam praeſertim in locis articulationum ſubnatam per complures annos absque ullo incommodo reſiduam manſiſſe,] quam Americae Coloni & Aethiopes *Matrem Jaws* appellitant, cui venenata vis ineſt; ea enim obſeſſi alios facile praeſertim per coitum inficiunt. Ab his ſibi caveant, ulceribus aut vulneribus utcunque benignis aliqua corporis parte laceri! (Milites v. g. novo delectu e patria huc locorum miſſi). Facile enim in mali conſortium infectione dictae Matris pertrahuntur.

§. 8.

Mireris autem modum propagationis mali. Muſcas parvas admodum Surinamenſis alit Regio, quibus nomen *Jaws Muſcarum* (mali quod propagant cauſam) inditum, quas inſtinctus naturalis ad ſugenda loca corporis animalis aperta, ulcera puta aut vulnera impellit. Ergo nuda ſibique pabulum praebentia Aethiopum corpora invadunt, & ex puſtulis, quae nomen *Matris Jaws* gerunt, hauſtum venenum in ulcera & vulnera ſanorum corporum transferunt.

§. 9.

Eſt & alia Morbi hactenus deſcripti ſpecies; vulgo *Crabbe-Jaws* dicta, quam facile pro alio & indole diverſa Morbo habeat, quem frequens artis uſus veriora non edocuit. Mihi vero experientia penitus perſuaſit, aliam tantummodo formam Morbi ab externis cauſis inductam nominis augmento occaſionem praebuiſſe, reapſe eum Mali, quod deſcripſimus, ſpeciem eſſe. Nativitatem ejus inde repeto, quod plerique omnes calidarum Regionum Incolae nudis pedibus inambulare ſoleant. Neque enim ab hoc malo immunes ſunt, qui alteram Morbi *Jaws* dicti ſpeciem paſſi & ab eo reſtituti

tuti fuerunt. Aequa iter omnes, quamvis dispari gradu, infestat, ut fere pro miraculo habeatur, si quem Aethiopem istis in Regionibus vitam degentem intactum relinquat. Aestu nimirum solis torrida & exusta terra nudis pedibus eam calcantibus caloris sensum satis molestum inducit; accedit attritus continuus, quo fit ut dissipatis fluidis & oleosis exarida cutis miram duritiem contrahat, atque in dies crassior crusta durissimo corio similis in paniculo adiposo plantarum pedum subnascatur, intra quam terra, arena aut ramenta Concharum per plateas spargi solitarum recepta, magnas saepe rimas in paniculo adiposo efficiunt, & plantis pedum altius infixa ac corporis pondere intra partes carnosas pressa ulcera callosa parva & profunda causantur, quae initio quidem ob callositatem haud sunt dolorifica, verum ubi ad partes musculosas penetrarunt, doloris profundioris sensu in faciendo gressu pedem affligunt. Aethiopes hunc sensum dissimulare prae metu crudelis curae solent. Interim principia morbi eo modo neglecta in deterius vergere, adeo ut postremum foeda callosa ulcera non modo gressum prorsus impediant, quod maxime molestum sano caeteroquin corpori accedere solet, sed & doloris & cruciatus excitent, praesertim si tendinosae partes ab iis roduntur. Medicamentis externis ad detergenda & consolidanda haec ulcera cum fructu, ut videbatur, adhibitis, saepius vidi alteram speciem Morbi *Jaws*, quam in antecedentibus descripsi, erupisse, atque utramque speciem justo regimine adhibito nulla labe superstite persanatam fuisse. Unde suspicio justa mihi nata fuit, utramque mali eodem nomine insigniti speciem communem quendam fontem habere, & materiam peccantem in utroque ejusdem esse indolis, in utriusque propterea cura eandem medendi rationem cum successu adhiberi.

§. 10.

§. 10.

Redeo ab morbi genus, quod ſimplici nomine *Jaws* venire ſolet. Hujus quoque duae numerantur ſpecies: altera magis exterior puſtulis in altum & profundum excreſcentibus plenior, in corpore ſe manifeſtat: altera ſtatim ulcera plura eademque latiora facit, nec tam multis locis erumpit, & curatu eſt facilior, quippe natura plerumque omnem curationis modum abſolvit; nec periculum nec ſymptomata adeo gravia hic metuenda, atque in prima ſpecie, quae vulgo pro graviori morbo habetur.

§. 11.

Quod dixeram hunc morbum in contagioſorum numero eſſe, de eo nemo dubitabit, qui experientiam conſuluerit. Maxime autem haec lues propagatur Veneris cum Aethiopibus exercitio, cui quippe certe certius obnoxii naſcuntur liberi inde ſuſcepti; alter licet eorum, qui corpora junxere, Europae ortum ſuum debeat. Quid quod Europaearum liberi a nutricibus aethiopibus alti eo plerumque corripiantur? Inter indigenas Americae, ſola fere Mancipia, & qui cum Africanis corporis commercium habuerunt, hunc morbum ſolent contrahere; qui ne latius diffundatur, eo correpti lege publica plateas frequentare prohibentur; & quod plus eſt, ante paucos annos Magiſtratus vetuit infectos in aedes Medicorum vel Chirurgorum, aut in Noſocomium publicum admitti; quae cautio Medicis taedium ademit, bono publico nihil addidit; jam enim quisque cogitur aegros domi ſuae retinere, qui ſi in ſeparato Noſcomio curae Medici aut Chirurgi committerentur, mali propagandi occaſio, quae nunc late patet, praecideretur. Enim vero meum non eſt de prudentia eorum, qui Reſpublicas adminiſtrant, diſſerere.

§. 12.

Venio ad caufas & originem Mali cujus indaginem perdifficilem eſſe ſentio; pro viribus tamen, quid propriae, quid aliorum obſervationes me edocuerint, hic enarrare & argumentis adſtruere aggredior.

§. 13.

Qui Maria percurrunt, abunde experti ſunt Aethiopes, in omnibus fere Regionibus, panis loco eſſe fructum arboris *Muſae* ſub cineribus coctum. Iidem Surinami cyclaminibus veſcuntur, quibus Tayer, Napi, Giamis &c. nomen eſt, & haec quidem Aethiopes avidius expetunt quam panem noſtrum aliaque farinacea. Hujus autem victus ea eſt indoles, ut chylo craſſo & tenaci materiam praebeat. Equidem in bonum nutrimentum cedere in his poteſt, qui vitam aſperam aut ruſticam exercent, ſtomachique plenitudine gaudent; in aliis vero omnis generis cutaneis morbis cauſam praebet,[1] quorum idcirco calidas Regiones prae caeteris feraces eſſe, foeda me docuerunt ſpectacula. Vidi tria indole diverſa mala cutim ſimul obſediſſe; Lepram, *Jaws* noſtrum & Variolas. Quamvis autem nullus dubitem, diſcrimen eſſe in miaſmate ſeu materia peccante, a qua dicti Morbi trahunt originem, illud tamen derivandum exiſtimem a vario gradu lentoris & viſciditatis, indeque oriundae obſtructionis, nec non acrimoniae & corroſivitatis, quam humores ſtagnatione aut perverſo motu contrahunt. Omnibus me quidem judice depravatus chylus cauſam praebet, cujus qualitates ex indole ingeſtorum omnium conſenſu dijudicandae ſunt. Accedunt calor, motus & exercitationes corporis, quae chylum craſſum & nutriendo corpori animali ineptum, in materiam morboſam mutant. Haec ſanis ſuccis permiſta ocius tardius per naturae molimina ſeu criſim in ſuperficiem corporis propulſa ibique

que depoſita foedos morbos cutaneos generat. Saepius mihi obſervare utique contigit, Aethiopes ex Africa recens allatos, qui morbum *Jaws* antea nunquam paſſi erant, ipſo in itinere eo jam correptos, atque ne minoris aeſtimarentur, morbo per curam palliativam repreſſo ſpecie tenus ſanatos, brevi poſt in Regione Surinamenſi vim ejus atrocius expertos eſſe, qui quippe cum ab eo liberati eſſe viderentur, ſolito pretio venditi ſunt, ſed vix uno aut altero menſe inibi locorum tranſacto, non ſine dolore Emptorum in eum inciderunt. Quae obſervatio mihi prorſus perſuaſit ab alimentis in illis Regionibus originem cum morbi noſtri, tum aliorum malorum cutaneorum repetendam eſſe. Utique in ſeptentrionalis Americae illa Regione, cui *Novae Angliae* nomen eſt, degens, raro admodum obſervavi Mancipiorum prolem hoc morbo affectam fuiſſe; indigenas autem eo nunquam laborare expertus ſum. In cauſa eſſe intellexi victus rationem quam in boreali parte communem cum Europaeis habent; dum in altera Americae parte quae ad meridiem vergit, eodem victu utuntur, cui inde a prima aetate in Africa inſueverunt. Hic autem morbo, qui Africae endemicus eſt, & cujus ſemina e patria ſua afferunt, pabula praebet, efficitque ut tanta vi, tamque ſaevis ſymptomatibus ſe manifeſtet.

§. 14.

Operam ſedulo dedi, multaque inſtitui tentamina, ut indolem materiae peccantis Morboque cauſam praebentis detegerem; ſed conatus meos in hunc diem ſucceſſus deſtituit. Illud certum habeo, eam nec plane ſcorbuticae, nec venereae indolis eſſe; hos enim morbos, ſaltem principio, adhibita juſta medela, ſanari poſſe conſtat; at fruſtra & cum pernicie aegri curam Morbi *Jaws* tentaveris, priuſquam periodos eruptionis

& maturitatis abſolverit, & hos medicamentis accelerare velle, imperitorum eſt; ſiquidem ſolus fere labor & exercitatio frequens corporis hic prodeſt. Frigus vero & pluvioſum caelum morbi vires tantopere augent, ut ea tempeſtate quotannis centeni in Colonia Surinamenſi ex eo intereant.

§. 15.

Aethiopes quibus contigit aetate praeſertim juvenili e patrio ſolo in Europam transferri, raro admodum hoc morbo correptos fuiſſe audivi. Eosdem tamen in patriam reduces brevi annorum ſpatio invadere ſolet. Navitae noſtrates, qui cum ſcortis aethiopibus corpora ſua miſcuere, ſaepe hunc morbum incontinentiae ſuae mercedem in Europam reverſi patiuntur. Ex quibus ſuſpicio naſci poſſet materialem cauſam cum venereo miasmate commiſceri, & de hujus natura forte participare: pleraque ſane ſymptomata ſimilia apparent. Ex his ſunt dolores oſteocopi, nocturno tempore exacerbari ſoliti, nec non tophi in partibus oſſeis, qui licet lento gradu generentur & increſcant, illis tamen, qui in venerea lue oſſa diſtendunt, haud abſimiles videntur, curamque cum mercurialibus inſtituendam admittunt. Quae cum ita ſint, facile aliquis credere poſſet, hunc morbum de proſapia Veneris eſſe, & forte merum ſiphilis ſymptoma.

§. 16.

Verumtamen quicunque paulo diligentius animum adverterit ad decurſum morbi, depraehendet eundem fere typum eſſe, quem natura in procuranda variolarum, quas *benignas* vocamus excretione ſervare conſuevit. Omne diſcrimen eſt in tempore, quod huic operi impendi ſolet, ut terminum maturitatis attingat. Eodem prorſus ordine in utroque procedit, ni errores diaete-

diaetetici eam turbent; ſolis etiam naturae viribus utrumque malum ſuperatur, & ſanatur; quod quidem nec in ſcorbuto, nec in venereis malis obſervamus. Affinitatem porro variolarum & morbi noſtri evidentius adhuc probant exempla infantum lacte materno nutritorum, a quibus dummodo aeris injuriae arceantur, morbus ultro nulla ſuperſtite labe recedit; quare Aethiopes ſeſe felices exiſtimant, quorum liberi prima aetate hoc morbo defunguntur etſi enim in ακμη ejus monſtris ſaepius ſimiles ſint, nullo tamen adhibito medicamine perinde ac in variolis, ſolius naturae beneficio priſtinam ſanitatem & integritatem corporis recuperant. Et ne matres quidem, ſi hunc morbum antea perpaſſae ſunt, habent, quod timeant ab infantibus ſuis, a quibus tamen contagio non ad alios tantum infantes, ſed ad adultos etiam & ad ſana quaevis corpora facile ſerpit. Accidit fateor nonnunquam, ut materies peccans tantam acredinem contrahat, ut aures, naſum, labia, parteſque genitales depaſcatur, quod tamen venerei miaſmatis praeſentiam minime declarat, ſed parentum incuriae potius, quam indoli mali imputandum eſt; quis enim neſcit, benigna quoque ulcera ſub pravo regimine, maligna, ut ita loquar, evadere atque in cacoethen vergere?

§. 17.

Vulgarem igitur opinionem ſcilicet morbum *Jaws* partim de materie ſcorbutica, partim de venereo viru originem & qualitates ſuas trahere, doctus ab experientia deſerui. Et poſſem eam compluribus argumentis refellere. Sed quae de typo regulari, quem ſervat, attuli, adeo manifeſte evincunt, nihil ei cum ſcorbuto aut venereo malo commune eſſe, ut rerum gnaris non opus ſit alio indicio.

§. 18.

Transeo ad prognosin, in qua anxius haerebit, qui hunc morbum non vidit saepius & tractavit. Regularis enim prognostica, quae in aliis morbis plerumque valet, graviora scilicet symptomata statim ab initio ingruentia malum portendere, in hoc non modo locum non habet, sed e contrario bonum potius omen est, ubi forte magna violentia hominem invadit, tum enim prospera eruptio expectanda erit, quae si in capite aut collo rite fit, plerumque symptomata mitigantur, aegerque melius se habet, adeo ut Medicus, qui recte aegro consulere cupit, nihil ei aliud, quam justam victus rationem commendare debeat. Contra ea si levia morbi principia sunt, ut una tantum alterave pustula passim erumpat, malum esse omen observavi, nec me unquam eventus fefellit, inde praesagientem Morbum longiorem fore & durioribus aerumnis corpus afflicturum. Utique post levia initia, interdum tanta atrocitate saeviit, ut omnem curam respuerit. Propterea Medicum oportet morbi vim minime contemnere, si forte initio modica apparet; multoque minus bonum inde formare praesagium, sed ejus potius metuere contumaciam, eique optimam victus & medelae rationem objicere; ne toedium & contemptum pro studio & labore, quem ei sanando impendit, referat.

§. 19.

Quod dixi nullis Medicamentis locum esse, quoties Morbus suum tenet typum, id omnino experientiae congruum est, quae saepius docuit, omnia fere remedia cum externa tum interna, quocunque morbi statu adhibeantur, nocere potius, quam prodesse. Interdum tamen decrescente & ad finem suum vergente morbo quaedam profuisse visa sunt ad mitigandam materiae peccantis acredinem. Interim mali diuturnitas ten-

tentaminibus faciendis frequentem occasionem praebet. Neque defuerunt industrii Viri, qui illa occasione hoc maxime consilio usi sunt, ut periodos foedissimi morbi breviores redderent. Quorum conatus quamvis successu caruerunt, laudanda tamen est voluntas. Inter eos eminent Judaeus Medicus, & Juris Consultus quidam non incelebres, qui cum in Academia Lugdunensi eodem tempore literis operam dedissent, Surinamum profecti ante aliquot annos experimentis hunc in finem institutis laudabiliter inclaruerunt. Scilicet, Medicus ex praelectionibus celeberrimi *Gaubii* didicerat, Aethiopem mineralem & decocta sudorem moventia imprimis Radices Bardanae in Morbis cutaneis plurimum prodesse, praesertim si balnea calida ex eodem decocto diutius parata ad cutim relaxandam in subsidium adhibeantur. Hanc igitur viam sibi elegit in curando hoc morbo, atque consilii atque laboris socium sibi junxit Juris-consultum. Suam autem methodum hi Viri sollicite celebrabant; quae quidem in principio magnopere placuit; siquidem plerique aegri curae eorum commissi septimanarum aliquot spatio convaluisse videbantur, seque optime habebant. Verumtamen brevia fuerunt gaudia & contrarium docuit temporis successus. Inter ipsos enim conatus plenae sanationis obtinendae exanthemata majori impetu extrorsum pulsa spem conceptam eluserunt, & magnum numerum atrocissimorum symptomatum attulerunt. Nonnulli paralysin passi Membrorum amiserunt usum. Alii cruciatibus nocturnis, doloribus osteocopis, tophis, ulceribus, nullis remediis sanandis misere vexati sunt. Itaque plus noxae quam commodi in Rempublicam ex illo consilio redundasse videbatur. Verumtamen mihi persuasum est, istam medendi rationem successu non carituram, dummodo periodis Morbi recte notatis debito adhibeatur tempore. Etenim non decet Medicum naturae ordinem in his,

quae peragenda suscepit, antevertere velle. Inutilis & pene dixerim perniciosa est ars, quae naturae leges interturbat. Nihil pejus est festinatione & operis praecipitatione. Nonne in variolis, etiam benignissimis frequens experientia docuit, quanta damna intempestivus medendi ardor iis laborantibus intulerit? quod vetulae inconsultum pronuntiant, id aliquando Medicorum consilio factum vidi, ut ipso eruptionis tempore exsiccandis & sanandis pustulis Medicina adhibita fuerit. Quae haec insania! atqui pariter in nostro morbo interdum pergitur; quo nihil perniciosius est. Stet ergo vetus decretum cunctis, qui artem salutarem prudenter exercuerunt, probatum: scilicet in Morbis regularem typum servantibus nihil esse agendum Medico, praeterquam ut naturae sequatur ordinem, ejusque se fidelem Ministrum praebeat in his, quae molitur. Igitur sive celerius sive tardius natura in opere suo procedat, pari cum ea passu Medicus ambulet. Et speciatim in Morbis cutaneis oportet idoneis remediis eruptionem promoveri, quo facto digestio & maturatio naturae relinquenda nec temere acceleranda. Officium & honos Medici est omni studio naturae jussa exsequi, ejusque adjuvare molimina. In nostro igitur casu materiae peccanti, quae in imis corporis recessibus delitescit, extrorsum in cutis ambitum expellendae diligentem impendat operam, de caetero se contineat, certus, naturam omnia reliqua debito tempore & ordine absoluturam.

§. 20.

Sed ut de cura hujus mali rectius judicari queat, lubet experimenta nonnulla, quae ad eam obtinendam cum Aethiope minerali instituta sunt, eorumque eventum paulo fusius exponere. Vidi igitur aegros, qui, postquam sat magnus pustularum numerus in superficie corpo-

corporis apparuiſſet, mane aut veſpere grana 10. Mercurii imperante quodam Medico devorarunt, & decocti tepidi 24 uncias ſingulis diebus biberunt, ter ſcilicet octo uncias. Aliis commodius viſum eſt, Aethiopem mineralem decocto permixtum exhibere, cujus unam portionem mane jejuno ventriculo, alteram hora, quae prandium praecedit, tertiam aliquot poſt caenam horis propinabant, atque medio tempore largiorem decocti alicujus ex radicibus deſcriptis parati copiam potari volebant, aegrum porro ad labores & ad corporis exercitia ſedulo obeunda incitabant, & dum vires conſtabant, balneis quoque tepidis cutim relaxare conabantur, quo facilius materia peccans ad ſuperficiem demandaretur. Hi quoque purgantia curationi interponebant, exhibito pulvere *Jalappae* vel *Rhei*, octavo quoque aut decimo die. Poſtquam vero hanc medendi viam per duas tresve hebdomadas proſecuti erant, ſenſim augebant Aethiopis mineralis doſin uſque ad integram drachmam, continuato interea decocti uſu, datoque interdum Theriacae Andromachi praebio. Cujus quidem methodi hic fuit ſucceſſus, ut ſicca praeſertim tempeſtate omnes puſtulae, quae cutem obſederant, etiam maximae, evaneſcerent, & curatio brevi temporis ſpatio tanquam per miraculum perfecta videretur; humida vero tempeſtate malum his etiam remediis pertinacius & diutius reſiſtebat, cujus rei idonea mihi viſa eſt ratio, quae coelo pluvioſo aegri nequeant corpus ſatis movere & exercere. Eſt etiam conſtans obſervatio, aerem humidum exſiccationem vehementer retardare; & contra ſiccum accedente juſta corporis exercitatione, etiamſi nulla artis praeſidia accedant, plus ad ſanationem conferre, quam optima medicamina tempore pluvioſo eum in finem applicata. Sed redeo ad curationis hiſtoriam. Itaque exempla eorum qui hoc modo ſanati videbantur, alios facile commovebant, ut

eandem medelam experiri optarent. Quo fiebat, ut arcani venditores magnum lucrum facerent, aegris plurimis promta ſanationis ſpe & luculentis quaſi exemplis allectis. Sed quod ſaepius uſu venit, ut ſpes immodica & feſtinanter concepta fallat, id his quoque accidit. Vix enim poſteriores aegri Medicis noſtris ſeſe ſubmiſerant, cum priores, qui convaluiſſe credebantur, mitiores redeuntis morbi vires experirentur; quae quidem res aegris pariter ac Medicis initio parvi momenti viſa eſt, creditumque reliquias tantum mali ſupereſſe facile ſubigendas. Verum aliud longe docuit eventus: cum enim ad nonnullos perficiendae curationis cauſſa vocatus eſſem, omnem his reliquiis morbi funditus eradicandis diligentiam adhibui, ſed operam perdidi, nihil licet eorum omiſerim, quae in hoc morbo prodeſſe ſolent. Paulatim dolores acerbiſſimi, turbulenta inſomnia, alvi, hepatis, lienis, meſenterii, pulmonum obſtructiones, magni in corde polypi, & alia gravia ſymptomata aegros in morbum relapſos infeſtarunt, omnemque curationis vim irritam fecerunt. Ex quibus cognovi, mitiora morbi redeuntis principia, quae extus apparent, occultato & introrſum verſo veneno rectius, quam cicurato adſcribi, nec quidquam boni a laudatiſſima illa curationis ratione praeſtitum eſſe. Quam opinionem confirmavit, cadaverum ex hoc morbo defunctorum diſſectio, quam data occaſione inſtitui. Vidi enim cum ſumma admiratione aliquando pancreas & univerſum meſenterium adeo obſtructa, ut lapidis fere duritiem haberent, & in utraque ſuperficie ſimilem monſtrarent materiam, atque in externo leproſi corporis habitu apparere ſolet: dixeris ceram flavam igne liquefactam. Imprimis mirabile eſt exemplum Aethiopis juvenis, qui enarrata methodo pulchre ſanatus videbatur, niſi quod in ſuperiore parte ſterni puſtulam habuerit reſiduam, quae ſenſim totum os ſterni

carie

carie infecit, tandemque perforavit. Hunc ſubito mortuum cultro anatomico ſubjeci, vidi tum os ſterni in interiore parte usque ad cartilaginem enſiformen carie conſumtum & mali materiem, non in mediaſtino tantum & pleura, ſed per totam fere pulmonum ſuperficiem diffuſam, ipſa licet pulmonum ſubſtantia vitio careret. Plerique autem ad dictum modum tractati & ſpecie tenus ſanati poſt acerbiſſimos artuum dolores & cruciatus paralyſin vel contracturam paſſi ſunt, tophisque in oſſibus enatis miſeram per plures annos vitam duxerunt. Ex quibus iterum iterumque colligo, nunquam in morbis exanthematicis, certam periodum ſequi ſolitis, curam tentandam eſſe, priusquam typum abſolverint, & Medicum magnopere decere, ut non tam artis, quam naturae in iis ſeſe praebeat miniſtrum.

§. 21.

Medicus inquam, aſſiduus naturae animalis ſpectator, ante omnia ejus obſervet molimina, ejusque vires probe expendat, atque hinc an ſubigendo morbo ſufficiant nec ne; caute dijudicet. Viribus pollenti omne negotium permittat; defficienti ſuccurrat, & robur quaſi addat. Haec eſt optima regula in morbo noſtro, ſicut in multis aliis. Itaque leniora lignorum decocta quotidie modica quantitate v. g. ad tres quatuorve libras aegris data, in malo noſtro egregium uſum habere ſemper vidi. Contra largiſſimorum eorum copiam nocuiſſe obſervavi, ubi aeger non ſatis corpus movet & exercet, adeoque imprimis dum pluvioſum coelum eſt. Notum enim ab aere humido, perſpirationem inhiberi, eoque fieri, ut decocta vim ſuam per urinarias potiſſimum vias exerant, nec Medici voto & fini reſpondeant. Igitur in eorum uſu caute procedendum & tempeſtatis, aetatis, viriumque aegri ratio habenda eſt. Nam niſi his accurate perpenſis definiri poteſt, quousque in uſu

expel-

expellentium perſeverari oporteat; cum tamen certiſſimum ſit, maximum curae momentum in plena mali expulſione ſitum eſſe.

§. 22.

E numero expellentium, quae materiam morbificam cutim verſus dirigunt, ea tantum commemorabo, quae frequenti uſu aliis efficaciora eſſe expertus ſum. Terreſtria igitur & abſorbentia non inutilia ſunt; imprimis autem ſalia media ſeu neutra, nec non volatilia ſulphurea & ex compoſitis eſſentiam alexipharmacam ſaepius multum profuiſſe vidi. Vulgare eſt inter Colonias remedium & fere domeſticum, conſtans e fl. ſulph. gr. x. cum xx. granis theriacae permixtis, quod ſub noctem cum decocto aliquo lignorum vulgo exhiberi ſolet. Hoc autem nocere potius quam prodeſſe ſaepius obſervavi, praeſertim ubi lympha & ſerum nondum ſatis diluta ſunt: materies quippe peccans tenax & viſcida ad modum bituminis inſtar vaſis inhaeret, nec facile ſe illius remedii vi extrorſum pelli patitur. Majorem utilitatem praeſtant reſolventia ex gummatibus & extractis parari ſolita, dummodo decocta ex herbis reſolventibus & aperientibus, aut radicibus, polypodii, graminis, trifolii fibrini, ſimilibusque copioſe ſimul bibantur; quibus poſt unam alteramve ſeptimanam decocto lingnorum ſubſtitui poſſunt, fortius quippe materiam ad ſolutionem tendentem commotura.

§. 23.

Interea cauſarum ſollicita habenda eſt ratio, quae eruptionem exoptatam retardare queunt. Ex harum numero ſunt corporis debilitas, aer humidus, nec non alimenta difficulter concoquenda, craſſumque & tenacem chylum praebentia. Tali igitur victu, a quo aegrum interdicere debet Medicus, & curare ut ſubſtitu-

antur

antur eupepta & euchyma, praesertim ex farinaceis. Quocirca observavi oryzam Aethiopum corporibus magis conducere quam hordeum, a cujus usu hoc morbo affectos saepius vidi in diarrhaeam incidisse, qua corporis vires notabiliter infractae sunt. Europaeis contra, oryza, hordeum, milium, avenacea, lac, olera, juscula carnium omnis generis promiscua concedi possunt, utpote huic alimentorum varietati assuetis. Aethiopum stomacho oryza & pultes e radice Cassavo amara in panem prius cocta paratae, nec non frumentum Saracenicum melius conveniunt, bonaeque indolis chylum praebent. Vitanda autem omnia sale condita, pisces, carnes, quae Aethiopibus in deliciis esse solent; quaeque tantopere ab illis expetuntur, ut interdum vi coercendi sint, ne genio suo indulgeant, & consuetam victus rationem cum detrimento sanitatis sequantur. Est profecto in diaeta summum curationis praesidium positum, a cujus regulis, qui recedunt, praesertim ex adultis, nullam illi sanationis spem reliquam faciunt, atque tamen publice privatimque interest, ut periculum ab hoc morbo imminens avertatur, praesertim cum ingens sit eorum numerus, qui singulis annis ex Africa in Americam devecti eo corripiuntur, adeo ut aegris ea in regione curandis Medici & Chirurgi vix sufficiant.

§. 24.

Peracta tandem eruptionis periodo symptomata Morbum nostrum comitari solita decrescunt. In hoc igitur Morbi stadio promovendae pustularum maturitati & corrigendae acrimoniae, quae in materia earum contenta esse solet, Medicus operam dare debet; quoniam, ut jam dixi, pustulae saepius in ulcera carnes late depascentia abire solent, corpus, ni succuratur, misere deformatura. Vidi certe in puero quinque annos nato, neglecta tempestiva medela omnes partes genitales externas

ternas

ternas ab his ulceribus fuiſſe exeſas, qui caeteroquin bene ſe habuit & curatus fuit. Nonnunquam digiti pedum & manuum, aures, naſus, labia, interdum ipſi oculi, totaque facies ab iis foedo depaſcuntur ſpectaculo, efficiturque ut alii homines eorum aſpectum magnopere abhorreant. Quibus malis arcendis Mercurialia externa cum ſucceſſu adhibentur, quorum ea eſt vis, ut materiam acrem corrigant, ipſaque ulcera exſiccent. Imprimis vero unguentum ex Mercurio vivo cum Therebintina paratum, cui interdum Merc. praec. ruber, & aliquid unguenti Baſilici admiſcetur, ulceribus ad ſiccitatem perducendis pulchre conducit. Mancipia ipſa praeter alia Medicamina uſu probata componere norunt, linimentum e ſcoriis ferreis in pulverem redactis, ſuccuque limonum permixtis, cujus maligniſſima ulcera ex hoc morbo nata ſanata fuiſſe vidi; norunt etiam herbas nonnullas, quae eundem praeſtant uſum.

§. 25.

Pluviali tempeſtate frequens admodum ſymptoma hoc morbo affectis accidit, ut ſcilicet a frigore ſuſcepto tumor leucoplegmatico ſimilis exſurgat, praeſertim in capite, ubi Hydrocephalum imitatur. Aeger tunc in calido loco continendus & fomentis ex diſcutientibus v. g. floribus Roſarum rubr. aut chamom. cum farina ſecalis aut fabarum, ſemin. foenic. cumin. admiſta aliqua parte Camphorae paratis & calide applicatis tentanda eſt materiae collectae reſolutio & diſſipatio. Atque ut ſudorem cientibus remediis liberior ad interiores corporis partes pateat aditus, non inutile eſſe deprehendi, Eccoproticis aut Clyſteribus inteſtina detergere. Proſunt quoque ad excitandos ſudores ſuffimigia ex Juniperi baccis, benzoe, maſtiche, olibano &c. ſuper prunis combuſtis. Haec etiam cauſſa eſt, quare Aethiopes ſine accenſo in cubilibus ſuis igne dormire non ſolent; ſiquidem

dem frigus vespertinis matutinisque horis ingruens nudis corporibus aestu & sudore exagitatis molestiam atque noxam infert. Huic proinde mori Medicum indulgere atque obsequi oportet. Certissimum enim est in calidis his regionibus quotidie, ipsa etiam tempestate pluviis abundante frigus sub noctem ingruere, idque difficillime tolerari ab humanis corporibus tegi insolitis.

§. 26.

Equidem optimum esse puto in exsiccationis etiam stadio naturae opus suum perficiendum relinquere; ea tamen lege & conditione, ut si quae graviora symptomata post medelam, quam natura huic morbo afferre solet, supersint, quod sat frequens est, Medicus non omittat necessaria ad curationis opus absolvendum. Quem in finem Mercurialia ea dosi salivationem movent, egregiumque plane usum habere vidi. Principio quidem leviora & potius diaphoretica in subsidium adhibenda, quae quippe sufficiunt, ubi exigua quantitas materiae morbificae nondum ad maturitatem perductae corpori infixa haeret. Vel si tamen evenire potest, ut aeger, qui per aliquot annos perfecta sanitate gavisus fuit, interveniente aliqua caussa recidivam patiatur, si forte superstes materia adhuc immatura, nec satis subacta in superficiem corporis novam eruptionem quacunque occasione lacessitur. Quod cum accidit, optimum consilium est, cum lenioribus laxantibus, quae ab intestinis mucum detergunt, diaphoretica adpromovendam perspirationem exhibere. Alio omni in casu si ad siccitatem usque pustularum natura opus suum perduxit, remediis nullus est locus, nisi quod balnea marina sale impraegnata huic morbi stadio egregie prosint. Proinde optimum est, ut corpus in mari quotidie abluatur; quod remedii genus Aethiopibus ignotum non est; in eruptionis tamen stadio nociturum magis, quam profiturum.

§. 27.

§. 27.

Lubet ea, quae hucusque differui paucioribus complecti. Ergo huc omnia redeunt: Morbi typum folicite infpiciendum effe; quem fi natura fueto fequatur ordine, paucis pharmacis omnem curationis modum abfolvi, nulla labe fuperftite; qua propter Medicum patientia potius decere quam inconfultam medendi rationem, quo minus fero experiatur fe operam & oleum accelerandae fanationi adhibita perdidiffe; atque opinionem vulgo receptam quafi Mercurialia in perfanando hoc Morbo cutaneo fine periodorum difcrimine plurimum valerent, & veritate omnino alienum effe. Neque incongruum effe puto hac occafione quaedam experimenta curationem cum Mercurialibus applicandi fpe inftituta eorumque effectus commemorare. Igitur Mercurium fublimatum ea ratione illuftris *van Swieten* praecepit, tentari in nonnullis & robuftis Aethiopibus eum in finem ftudiofe felectis. Horum quatuor per novem menfes cum hoc morbo conflictati erant. Puftulae erant magnae, pluvias fundebant nubes: Mercurii corrofivi dicto modo praeparati cochlear unum mane deglutiendum fingulis dedi, & decocti lignorum uncias octo infuper bibendas exhibui. Magno vomitu Medicinam rejiciebant. Impediebant pluviae corporis exercitationes; ergo juffi omnes ferra fecandis lignis ad laffitudinem ufque incumbere, & conveniente uti diaeta. Hanc viam cum per octiduum tenuiffent, tribus eorum faliva fluere coepit: quamobrem ceffavi ab ufu Mercurii fublimati; atque ad falivationem commodius peragendam Nofocomio eos commifi, nec nifi decoctum lignorum lenius abunde exhibui, eo quidem fucceffu, ut puftulae quae in cute emerferant, trium feptimanarum fpatio exficcatae & collapfae fint, nullo incommodo aut dolore inter & poft falivationem percepto. Atque fic tres illi in fanitatem reftituti, & ab hoc mor-

morbo liberati ſunt. In quarto autem ſalivam movere fruſtra tentavi, duplam licet doſin ſublimati devoraſſet. Et ſanatus tamen viſus fuit juxta cum aliis quibus ſalivatio rite proceſſit. Ex quibus manifeſtum quidem eſt Ptialiſmum ſuo tempore procuratum in eradicando morbo valde efficacem eſſe, ſed neutiquam illud ſequitur, quod vulgo ferunt: ſalivationem ſcilicet prodeſſe, quemcunque ſtatum morbi attigerit, quae opinio adeo invaluit, ut qui eam convellere audeat, luculento ſeſe expoſiturus ſit ludibrio; dum ab altera parte Medicus ei deditus & indulgens non aliud laboris praemium quam vituperia malo dein recrudeſcente ſibi promittere poſſit.

§. 28.

Quod Veteres Mercurium verſipellem appellarint, hic maxime Morbus declarat. Sane ab ejus uſu perſaepe materies morbi *Jaws* introrſum repellitur, foedis ulceribus cauſam praebens, quae loco regularium puſtularum hinc inde enata per vices manant, iterumque ſiccantur. Et quanquam extus haud maligna videantur, tamen doloribus Oſteocopis nocte recrudeſcentibus cauſam materialem praebent, atque ſi arte conſolidata ſint, brevi acerbiora redeunt. Tali in caſu Mercurialia, quorum diaphoretica eſt vis, felicius aliquando in uſum vocantur. Expertus ſum etiam profuſa ſalivatione ad ſananda ulcera adhibita materiam morbi *Jaws* e medullis iterum expelli, certe corrigi, ſicque morbum perſanari poſſe. At vero quoties morbus typum ſuum tenet, a Mercurio abſtinendum eſt, & ſolo lignorum decocto ejus decurſus facilior reddendus.

§. 29.

Mater *Jaws*, cujus in antecedentibus mentionem feci, ipſius morbi *Jaws* demonſtrat reliquias, ambiguo

guo tamen argumento, utrum labes in intimis corporis penetralibus adhuc haereat, nec ne? Haerere adhuc colligimus ex ſymptomatibus, tanquam totidem filiabus de matris indole teſtimonium perhibentibus; inter quae eminent dolores oſteocopi noctu affligantes, malo ſemper omine. His tamen ſuccurri poteſt unguento Mercuriali jam deſcripto, aut altero illo, quo Mancipia utuntur, extus applicato, & ſi vires ſinant uſu interno Mercurii dulcis ad duo triave grana in conſerva Roſarum vel theriaca quotidie dati; quibus omnino adjungi debet decoctum lignorum ea quotidie quantitate, quam lagena capit, hoc modo feliciter ſaepe ſuperatum vidi malum.

§. 30.

Ad eundem modum illud quoque ſymptoma, quod *Crabbe Jaws* vocatur, ad ſanitatem perducitur, niſi morbi fomes in corpore adhuc lateat; quo in caſu omnem medelam reſpuere ſolet. Tunc ergo Medici erit expellentibus remediis curam tentare; expulſione enim peracta ulcerum curatio facilis eſt. Interea perutile eſt hoc incommodo laborantibus, ut pedes aquis tepidis ſaepius immergant, quo facilior a membrana celluloſa, quam Morbi materies affligit, ut ſummam cutim effluxus reddatur. Quin etiam expedit Scalpello Chirurgi viam materiae parari. Facta inciſione convenit Merc. praec. rubr. & vitrioli albi aequales partes cum unguento aliquo digeſtivo applicari, quae quippe pulchre medentur ulceribus. Peſſime autem afflictis conſulunt, qui detergendis hoc genus ulceribus Mercurium ſublimatum, viride aeris, aut etiam Arſenicum in pulverem redactum adhibent. Vidi hujus generis remedia acerrimis doloribus indeque oriundis motibus convulſivis & epilepticis cauſam praebuiſſe, immo interdum acrimonia, qua pollent, adeo vehementer

menter nervos affecisse, ut vitae filum rumperetur; eosque ipsos, qui forte fortuna superstites fuerunt, lenta febre correptos contabuisse. Quibus ego permoveor, ut ejus regionis Medicis patientiam magnopere suadeam, certos omnino eos, qui morbi exitum missis violentis remediis ei sanando adhibere solitis praestolantur, consilii hujus percepturos fructum. Ars intempestive adhibita tantum non semper nocet. Alterum liceat addere monitum: aegros durante cura ambulatione, cursu, omninoque pedum usu interdicendos esse. Haec enim ansam praebent calli incremento curationem retarduro. Solent interim Mancipia Dominis suis adulari, atque ita se gerunt, quasi ulcera pedibus suis molesta sanata essent; qua simulatione efficitur, ut seque Herosque (nam vix sine indignatione appellare possum Dominos) decipiant; quam fraudem cautus Medicus praeoccupare debet.

§. 31.

Lubet coronidis loco Chirurgi cujusdam commemorare tentamina. Is Mercurium corrosivum in aequali copia Spiritus nitri fortissimi solutum admixto argento & capite (ut loquuntur Chemici) mortuo vitrioli aegris suis dedit, nulla diaetae & regiminis ratione habita, adeo ut etiam aeri frigido aegros exponeret. Quae quidem methodus morbo curando sufficere videbatur, aegris nonnullis sanitati specie tenus restitutis. At vero elapsis aliquot mensibus morbi vis rediit, & aegri foedis ulceribus vexari coeperunt, pluresque per annos excruciati sunt; quorum deinde nonnullos decoctis copiose adhibitis, excitataque salivatione penitus sanatos vidi.

§. 32.

Inter Medicos & Chirurgos, qui Maria fortunam tentaturi percurrunt, atque Aethiopes ex Africa in Ame-

ricam devehendos comitantur, & curant complures, ſunt qui jactant artem ex ſignis certis diagnoſcendi, utrum Mancipia morbum *Jaws* jam perpeſſa ſint, nec ne? Qua tamen in re & ipſos decipi, & alios decipere, experientia didici. Etenim raro admodum Morbus *Jaws* ſui in corpore relinquit veſtigia, & fere nunquam niſi maligna ulcera excitaverit. Similis eſt hoc titulo variolis, quae nulla ſaepe relinquunt ſigna anomneſtica. Et morbus *Jaws* plerumque quidem, ſi genio ſuo fruitus eſt, nulla relinquit. At vero auri ſacra fames facit, ut hanc quaſi certam artem diagnoſticam jactandi profiteantur, quae revera nulla eſt. Accedit imperium nautarum, quorum intereſt, ut morbi indicia quovis modo repellantur, ne Mancipiorum evileſcat pretium. Novi Thraſonem, qui fide interpoſita viginti Aethiopes hoc morbo defunctos antea fuiſſe audacter pronunciavit. Sed vix tuae elapſae erant hebdomadae, cum eorum octodecim morbo vehementer affligerentur. Piget plures fraudum commemorare modos. Tutiſſimum eſt, inſuper habita ſtultorum fide, ſinceritatem ipſorum Mancipiorum in pignus accipere, interpoſitoque lingua, qua utuntur, commercio exquirere, morbum paſſi ſint, nec ne? Deinde etiam, qua aetate haec experientia illis contigerit? Horum reſponſionibus magis fidendum eſſe, quam argumentis Medicaſtrorum, ſaepe ſaepius expertus ſum.

§. 33.

Longus forem, ſi omnia, quae mihi circa hunc morbum obſervare contigit, hic apponerem. Omnium autem obſervationum ſumma eſt: Morbum diligentiam omnem & curam vincere pertinacia, niſi ingenio ejus obſequatur Medicus; atque mali in ejus cura eventus cauſam eſſe conjicio, quod ſaepiſſime, antequam Morbi materies ad maturitatem perducta eſt,

per

per intempeſtivam ſalivationem in ejus principio, ut fieri ſolet, adhibita, partes ſolidae enerventur, ſigendaeque intra corporis latebras morbi materiae praebeatur, hinc enim illae lacrymae: dolores oſteocopi, tophi, exoſtoſes, ulcera maligna; quo dum res pervenit, jam decocta utut copioſe pota, ipſaque Mercurialia quocunque modo praeparata, incaſſum adhibentur. Licebit equidem ſalivatione interpoſita efficere, ut ſymptomatum violentia compeſcatur, & ad tempus ſileat; eadem tamen poſt unum alterumve menſem atrocius ſaevire ſolet, & quamvis non negem hoc magnam partem perverſo Aethiopum regimini adſcribendum eſſe; ea tamen eſt morbi hiſce pagellis deſcripti indoles, ut optimam medendi methodum aliquando eludat, optandumque ſit magnopere, ut certior aptiorque curandi ratio tandem inveniatur.

Obſervationes quaedam Medicae & Phyſicae

Plurimum incrementi Artem medicam coepiſſe ex ſedulis obſervationibus, quas fidi naturae animalis Miniſtri dedita opera collegerunt, inter omnes conſtare arbitror. Commoda haec mihi viſa eſt occaſio; rariores quoſdam caſus, quos mihi Medicinam facienti obſervare licuit, exponendi, e quibus cum ipſe profecerim, tum alios etiam Medicos nonnihil diſcere poſſe confido.

CASUS PRIMUS.

Juvenis Aethiops XXII. circiter annos natus, robuſto & tolerandis laboribus nauticis idoneo corpore, victu nautico bene perpaſtus, in Venerem ultra naturae mo-

dum proclivis, alvi obſtructione laborabat adeo pertinace, ut jam per octo dies nihil excreverit. Interea non aliud inde malum ſenſit, niſi quod abdomen durum & valde extenſum eſſet. Huic aliquot doſes pulveris digeſtivi ſalini dati ſunt ſub veſperam, & clysma carminativum idemque emolliens ingeſtum, ſed nihil inde effectum eſt, ſomnus tamen bonus fuit. Poſtero die ad movendam alvum ſequens potio ſed incaſſum adhibita eſt.

℞. Fol. Senn. SS. ℥ ß
Rhab. elect. ℈ij.
Fruct. Tamarind. mp. 1.
Sem. foenic. ʒj.
M. Coq. in aqua font. ℥vj ad colat. ℥v.
in colat. ſolve ſal. Cathart. Angl. ℥j.
Liq. anod. m. Hoff. gtt. xx.
Syrup. Cich. cum. Rh. ℥ ß

Haec potio in duos hauſtus diviſa eſt; aſſumta etiam largiſſima diluentis potus copia; ſed venter ſolvi non potuit. Juſculum in prandio datum, paucisque ab eo elapſis horis Enema ex ſpeciebus emollientibus cum ſapone veneto & ſale Geminae injectum eſt. Fruſtra fuerunt omnia. Nec repetitus praeſcripti decocti uſus aliquid valuit; etſi illud ad octo uncias redactum & duabus unciis mannae Calabrinae, nec non aliqua pillularum balſamicarum portione auctum a ℥ij ſingulis ſemi horis exhiberetur. Aeger ſe bene habere, alimenta appetere, nulla febris, flatuum aut doloris incommoda ſentire, placidoque frui ſomno pergebat. Tertio curationis die ad potentiora remedia ventum, & ſequens medicamentum praeſcriptum fuit:

℞

℞. Fruct. Tamarind. ℥ij
Fol. Senn. SS. ℥j
Rhabarb. elect. ʒij
Manna Calabr. ℥ij
Coq. in ℥xij ad remanent ℥viij. Colat. adde Diagr. Sulph. gr. xx. Kerm. min. gr. viij
Syrup. Cich. c. Rh. ℥vj
Liq. anod. m. Hoff. ʒj

Enema Electuario Hierae picrae Galeni auctum, & singulis horis injectum est, quibus tandem alvus reserata aliquot vices contentas deposuit feces. Hinc inflatio ventris decrescere visa est, sed tensionis sensus mansit. Aeger bene se valere credens, praesertim quoniam appetitui nequidquam decesserat, ad consuetam cupiebat diaetam redire, sed ob recidivae metum hoc ei negatum est. Quarto die alvus denuo obstipari & venter paulum inflari coepit. Medicaminibus sequenti die adhibitis magis intumescere, nec munus suum facere. Repetita sunt omnia eodem ordine, quem jam descripsi, sed irrito conatu, maloque successu. Vespere enim aeger noster spasmo syncoptico convulsivo corripiebatur, murmuribus abdomen personabat, pulsus admodum debilis per semihoram. In ipso paroxysmo Clysteres applicati, & larga venae sectio instituta, quam facile ferebant aegri vires. Nec omissa sunt stimulantia motumque vitalem fortius ciere solita, spiritus & salia volatilia, Castoreum, Acetum, vinum Rhenanum. Paroxysmum solutum crebriores alvi excretiones secutae sunt. Excrementa erant foetida, dura, nigra. Jam pulsus mollescere, aegerque ab omni dolore & anxietate immunis, libere respirare, commodeque se habere visus; neque enim lassitudo, quam id genus paroxysmi post se relinquunt, in censum venit.

Hilaris igitur per hortum deambulans ob ingentem & voracitati proximam cibi appetitionem, alimenta indesinenter flagitabat, ut ventrem expleret, sed tenui tamen victu contentus esse jubebatur. Potus ordinarius erat Julapium, e decocto hordei cum pulpa Tamarindorum paratum & Syrup. limonum ac spiritu nitri dulci imbutum, atque ad avertendos spasmorum paroxysmos singulis horis sequentis pulveris unam portionem capiebat.

℞. Pulv. Lumbric. terrest. ℈j.
— Marchion. ʒj.
— Castorei gr. x.
— Antispasm. rubr. ʒj ß
Misceant. divid. in vj. partes aequales.

Rediit paroxysmus media nocte, omnibus, quae enarravi, stipatus symptomatibus: repetitos Clysteres secutae sunt aliquot sedes tanto cum foetore, ut vix tolerari potuerit. Feces magis spumosae erant, quam ante, & atramenti colorem praeferebant. Urina sedimentum crassum, idemque atrum deposuit. Ab hoc insultu major lassitudo mansit, & sub auroram febricula exorta est. At tamen acerrimus ille cibi appetitus, quo tenebatur, nihilo minutus est; sitis vehementer urgebat. Itaque decocti, quantum vellet, bibendi licentia ei data est, atque ob insignem fecum putridarum copiam clysmatum usus nullo tempore intermissus. Hora pone meridiem decima novo paroxysmo correptus aeger eandem transegit scaenam. In consilium adhibiti celebriores Medici uno ore omnes respondent: initium & finem curationis faciendum esse cum remediis laxantibus & antisepticis. Inter alia datum est extractum Cortic. peruv. cum Spirit. Sulph. per campanam aqua satis dilutum, nec omissa laxantia, quorum vi alvus irritata saepius dejecit, sed putrida semper atroque colore tincta, nec

nec tamen cessavit spasmorum violentia, efficacissima licet antispasmodica Medicamina extracto Cortic. peruv. mista eis compescendis adhibita fuerint; neque tantum nihil inde solatii, sed inquietudines successere & febris continua. Vel sic tamen appetitus viguit. Sitis cum febre pari gradu exasperata est. Spasmorum vis per quatuor, aliquando per sex horas, subinde per totam diem siluit; at media tamen nocte aut matutino tempore aegrum vehementius exagitavit. Atque similis vicissitudines per octodecim dies tenuit morbus. Interea quotidie ambulabat; nulli erant dolores, omnes sensus constabant. Et tamen hoc exacto tempore morbo succubuit. Notatu dignum est, quo die spasmorum violentia e vivis ereptus est, foetidissimum oris Spiritum fuisse. Mirabar magnopere, qui fieri potuerit, ut curam omni ex parte solicitam, qua vel principi viro diligentior adhiberi nequeat, cui se aeger totum permisit, & obsecutus est, attentis eum in finem sedulis artis nostrae Ministris, nullo genere remediorum omisso, quibus levari & contra symptomata, quae identidem ingruebant, muniri posse videbatur; Qui inquam fieri potuerit, ut mali pertinacia talem curam, omnemque eluderet artem. At mali latens causa spectandam sese postero die praebuit, animumque dubiis liberavit. Dissecto ut eam inquirerem cadavere, viscera omnia abdomine contenta integra apparuere. Nulla erosio in intestinis tenuibus aut crassis oculis conspicua. Hepar magnum, sed sanum, nullaque parte induratum, nec inflammationis indicia praebebat. Vesicula fellea bile atri coloris ad dimidium repleta. Nulla argumenta relaxati aut inflammatione correpti ventriculi; quippe qui ingesta semicocta etiamnum continebat. Ergo thoracis cavum reclusi: dexter pulmonum lobus, quem primum explorabam, sanus at rubicundior tamen solito apparebat; de caetero nulla obstructionum, durarum-

que concretionum, aut vomicae indicia praebebat. Inspexi dein lobum finiſtrum Thorace exemptum. Hunc autem tanquam ſacculo aliquo concluſum a figura naturali degeneraſſe videbam; facta inciſione, ingens erupit foetidi puris quantitas, cujus odor omnes pene ſpectatores animo privavit. Nec minimam ſubſtantiae pulmonis particulam, aut ejus veſtigium deprachendere potui. Cujus locum pus peſſime olens membrana, ut dixi, concluſum tenuit, quae tenacis admodum ſtructurae, haud dura tamen fuit. Caeteras omnes cadaveris partes ſcrutinio anatomico ſubjectas labe carere vidimus. Quae obſervatio cum amplam medicae indagini materiem praebuiſſet, de cauſis & origine mali, de ſymptomatum, quae aeger paſſus eſt, ipſaque medendi ratione nonnullas viſum eſt meditationes hic paucis exponere.

EPICRISIS CASUS PRAECEDENTIS.

Non dubito quin enarratus Caſus plurimum dubitationis in animo Lectoris relicturus ſit, niſi me fallat judicium de aliis ex meo ingenii modulo factum. Illud autem praecipuum & plane ſingulare habet Caſus, quod nihil eorum, quae ſymptomatum atrocitas & ſpaſmorum praeſertim ſaevitia indicaſſe videbantur, in diſſecto corpore apparuerit.

Aeger mihi familiariter cognitus, & ſub oculis quotidie verſatus nihil obſtitit, quo minus omnia, quae ad eum pertinebant, curioſiſſime perveſtigarem. Duo jam anni fuerant praeterlapſi, ex quo variolis confluentibus laboraverat, comitante putrida diarrhaea; quae mihi neceſſitatem injecerat, peruvianum Corticem magna copia exhibendi, ne putredo latius ſerperet. Sedatâ hujus diarrhaeae violentia & putredine, quae humores infecerat, aeger paulatim convaluit. Sanato quoque

que diligentiorem curam adhibens obſervabam, eum ſub curſu, labore, aliisque corporis exercitiis difficilius ſpiritum trahere, quem tamen ante variolas liberrimum habuit. Domino, cujus erat mancipium, cauſam anhelationis requirenti, me credere, ajebam, variolarum forte in corpore ſupereſſe reliquias, obſtructionem ſcilicet, aut vomicam, aliamve materiae morboſae congeſtionem pulmones obſidere, videret ergo, quid cum eo ageret. Dominus ſive amore juvenis, quem in domo ſua educaverat, ſive lucri ſpe ductus, & ſatis robuſtum judicans nautico eum operi & labori admovit. In navi dum ampliori fruebatur libertate & pinguiore victu, vires admodum crevere, ſed cum robore corporis pariter vis morbi in corpore latitantis incrementa cepit. Credibile igitur eſt, materiam peccantem, quae intra pulmonum latebras collecta erat, a vaſis bibulis motu exinanitis ſubinde abſorptam & ſanguini miſtam eſſe, atque omnes paulatim ſuccos Corporis acriores reddidiſſe. Inde ortam puto tam inſatiabilem illum rei venereae appetitum quam ingentem voracitatem, cui Juvenis noſter obnoxius fuit. Cauſam vero cur acris materia tam diu delituerit, & tumultus nollos cierit, hanc fuiſſe ſuſpicor; quod partim bonorum alimentorum uſu & boni chyli ex iis parati copia interdum ſubacta & quaſi dulcificata eſt, partim per venerea exercitia e corpore eliminata. Interim tamen maturior quaſi pariterque acrior reddita tandem ſaevitiam ſuam manifeſtavit, & per metaſtaſin in inteſtina vaſaque genitalia translata, diris quae enarravi, ſymptomatibus anſam praebuit. Abſceſſus vix ullam corpori moleſtiam infert, quamdiu pus eo contentum benignam conſervat indolem. Idem vero acre redditum corpus mirum in modum turbat & pervertit. Sic in noſtro caſu, dum ſaccus, quo continebatur pus, integer manſit, parum obfuit ſanitati; eo autem fiſſo & rupto brevi vitae filum abru-

abruptum eſt. Hoc maxime mirandum, quod ſuam atrocitatem non in thorace, ubi ſedem habebat, ſed in aliis longe partibus & praeſertim in nervis exercuerit.

CASUS SECUNDUS.

Foemina Afra vigeſimum aetatis annum egreſſa, procero corporis habitu, puerperio ſemel defuncta, ſeptimeſtrem credebatur foetum utero gerere. Rus, quod cum aliis mancipiis colebat, deſerere coacta, atque in urbem translata maea comittitur curae. Menſtrua, quantum ex ipſa ejusque matre intellexi, a ſeptem inde menſibus non fluxerant. Interim, quaecunque ad ſuſtentandam vitam aſſumſerat, vomitu rejecit. Foetus in utero viventis motum ſe experiri teſtata multis perſuaſit, praegnantem ſe eſſe. Et ſane intumuerat venter; alia tamen aderant indicia, quae conceptam opinionem infirmabant. Pedes & latera corporis oedematoſo tumore dilatata, facies & praeſertim oculi ſimili tumore diſtenti, thoracis & extremitatum ſuperiorum macies, mammarum flacciditas, alvi & urinae ſuppreſſio, febris lenta, quae ſub veſperam ingruebat, ſuſpicionem potius morbi, quam graviditatis mihi movebant. Non deerat quidem alimentorum appetitus, ſed omnia aſſumta rejiciebantur. Lingua erat ſicca, & motu inteſtino incaleſcens rubebat. Difficile erat judicium. Suadebam ut alvum clyſteribus emolliret, & mannam in infuſo Theae ſolutam interdum ſumeret. Porro diaetam & corporis exercitationes, quae mihi commoda videbantur, hic non commemoranda, praecipiebam. In conſilium adhibiti alii Medici, ob ambiguam morbi ſpeciem negabant ſe quidquam conſilii, aut operae adferre poſſe. Obnixe me Domina ſervae rogabat, ut medelam malo adhiberem, ſeque, qualis qualis operae meae ſucceſſus fuerit, contentam fore pollicebatur.

Igitur

Igitur omnia expendi remedia, quae ad aegrotae ſtatum congruere videbantur; abſtinendum interim ab internis pharmacis judicavi, exceptis paucis v. g. pulv. antiſpaſ. & Elixir. viſc. cum liquore m. anod. H. aut Spirit. nitr. dulc. quae indicationi apud animum meum formatae reſpondebant. Interim terminum partus praeſtolatus, juſſi quandam obſtetricem uteri conditionem explorare. Nulla mora fuit, quin gravidam pronuntiaret. Interea juſſi frictiones in pedibus & lumbis cum panno calido frequentius fieri, & aromatico fumo ex accenſo thure corpus circumfundi. Quae dum fiebant ante elapſum graviditatis terminum coepit aegra cibos leviores ſic ſatis digerere, & imminente pedum atque lumborum diſtenſione commodius obambulare. Nec tamen deſivit abdomen intumeſcere; & partus appropinquantis omnia ſigna apparebant, ne quidem doloribus, qui partum praecedere ſolent exceptis. Obſtetrix inter haec naturae molimina explorans os uteri apertum deprehendit. Interea dolores eum in modum increvere, ut aegra animo prorſus linqueretur. Stimulantibus & analepticis revocata eſt. Sed his non contentus meum eſſe duxi manu explorare, vera eſſet nec ne obſtetricis ſententia. Et os quidem uteri ceu dixerat, apertum, nulla tamen intra uterum latentis veſtigia foetus deprehendi. Igitur id ſolum egi, ut aegrae vires reſtituerentur. Cui conſilio eventus adeo pulchre reſpondit, ut poſt anodyna & roborantia in ſubſidium adhibita, non dolores tantum brevi ſedarentur, ſed aegra etiam vix tribus abhinc diebus elapſis viam publicam repeteret, tumido & graviditatis ſpeciem praeferente ventre. Redeuntibus corporis viribus commoda occaſio viſa fuit perficiendae, quam ceperam curationis. Euchymam igitur & eupeptam diaetam corporisque exercitationes proſequi aegram juſſi, atque terrae foliatae tartari (quod alvus muneri ſuo niſi per clyſteres irrita-

ta

ta deeſſet) juſtam doſin idoneo fluido ſolutam quotidie propinavi.

Quae Medicina cum nihil prodeſſet, fortiora reſolventia in auxilium adhibui. Inter haec ſubito macula nigra circularis *figurae* umbilici regionem occupat, & ipſe umbilicus inflatur, pertinacior ſimul eſt alvi obſtipatio & dolores in regione umbilicali paulatim exacerbantur. His compulſus cataplaſmata primum reſolventia, deinde cum inflammationem accedere viderem, emollientia impoſui, & miſſis reſolventibus internis, temperantia ſubſtitui, adjunctis ſic dictis analepticis. Altius hinc intumuit poſtero die umbilicus & admodum lividus anſerini ovi magnitudinem ſuperavit. Eum igitur diſſecandum ratus cum incidiſſem flatus prorupit, praeterea nihil. Poſthaec ſymptomatum major fuit violentia. Curavi ergo cataplaſmatibus emollientibus abdomen foveri. Quo fotu vulnus, quod feceram, clauſum quidem, ſed paucorum dierum ſpatio in ſacci formam expanſum eſt. Hoc ſacco quoque diſſecto ſerum viſcidum flavum, idemque foetens, magna ſatis copia profluxit. Inde abdomen vidi detumeſcere. Saccum qui materiam peccantem complexus erat, pene putrefactum ex umbilico extraxi. Ipſe tandem umbilicus a corpore ſeparatus eſt. Adhibitis porro digeſtivis & antiſepticis remediis tam externis quam internis omnia in melius verſa ſunt, & in commodum & ſolatium Dominae priſtinam ſanitatem recuperavit.

CASUS TERTIUS.

Periculis & duris laboribus, quos ſubire ſolent, qui caſtra ſequuntur, exercitatus Miles quadrageſimum aetatis annum jam expleverat, cum pedem alterum caries infeſtaret. Ulcus a Chirurgis, quibus Noſocomii cura commiſſa erat, temere conſolidatum eſt, qui etiam militem

litem ad munia ſua redire geſtientem non retinebant. Ipſe tamen veſperi ejusdem diei, quo exierat, in Noſocomium reverſus eſt, querens de ſenſu in dextro pede prorſus abolito. Explorans diligenter, pedem ad malleolum uſque frigidum, nec ullam pulſationem in arteriis deprehendi. Et quanquam inſtituta ſcarificatione cutim vehementer irritarem, nullam tamen ſenſationem inde habuit, & ne guttula quidem ſanguinis ex inciſis vaſculis profluxit. Diligentem adhibere curam cupiens principio fomenta calida, e vino rubro, vinique ſpiritu, admixtis ſale amoniaco ejuſque ſpiritu parata applicui. Intereaque profundiores ſcarificationes inſtitui. Oleum quoque Caryophyllorum & balſamum peruvianum vulneribus inſtillavi. Porro etiam conſultum duxi pro inſtaurandis vitae viribus aegro ſingulis horis Corticis peruviani exhibere ſcrupulum. Erat aeger caeterum ab omni moleſtia & incommodo liber & genio ſuo indulgebat, liquores ſpirituoſos avide hauriens, quorum uſu tamen ſub cura eum ſolicite interdiximus, conceſſo ejus in locum ſingulis horis vini poculo. Quamvis autem ſedulo nocte dieque extus & intus adminiſtrarentur medicamina, ne minimus tamen redibat ſenſus, neque maturationis aut inflammationis veſtigia conſpiciebantur. Quin imo ſentiendi facultas altius ad ſuras uſque cutem paulatim deſeruit. Interea pulſus erat depreſſus ſemper, aequabilis tamen. Octavo autem curationis die elevari & accelerari coepit, & poſt levem horrorem febricula aegrum invaſit: quarto abhinc die videbatur natura, quantum e ſignis colligere licebat, emortuas partes a vivo corpore ſeparatura, quam idcirco dupplicata Corticis peruviani doſi adjuvare ſtudui. Aeger, qui adhuc ſatis commode deambulaverat, nunc ob dolorem lecto decumbere cogebatur. Cumque inferior pars cruris tumidior, lividiorque eſſet, aliaque ſigna amputationem ſuaderent, in eo eramus, ut

hanc

hanc institueremus, cum inopinato pedem etiam sinistrum sensus deficeret. Quare differendam esse duximus operationem, praesertim cum observaremus febrem decrescere, & dolorem, qui dextrum pedem occupaverat, evanescere, atque ea in parte, qua natura separationem moliri videbatur, pus bonae indolis generari. Quin immo excretiones omnis generis rite procedebant, nisi quod perspiratio modum excederet. Verumtamen optima quaevis separationem promoveri solita intus pariter & extus sine ullo fructu adhibebantur. Ne quidem sinistro pedi sensus rediit. Octodecim diebus a morbi principio elapsis aeger vehementiore febre correptus delirare coepit; inde pes sinister intumuit, atque ex albo lividum colorem induit, quo 21mo die in nigrum mutato aeger vita decessit. Quam sunt mirabiles & absconditae oeconomiae animales rationes! quanta in tractandis pedum ulceribus prudentia opus est!

CASUS QUARTUS.

Succedit alius Miles vasto, robusto & nervoso corpore. Hunc ab ulcere exiguo nihilque periculi habere viso liberaveram. Jucundum sano minime visum est inter aegros versari: ituro quo vellet, exhibui pharmacum ventris repurgandi causa. Nosocomio vespere egressus eadem fere hora rediit, de difficillima deglutitione questus. Et sane ne aquam quidem depellere poterat. Nullus tumor, nulla inflammatio collum, fauces aut pharingem obsidebat, sine mora venae in brachio & pede sectae sunt, & sanguis largiter missus; applicati quoque clysteres, sed sine ullo levamine. Hianti ori collutio adhibita, repetitae etiam venae sectiones, cum esset in mora periculum, neque omissa pediluvia, sinapismi & vesicatoria. Praeterea collum universum imposito cataplasmate emollienti diligenter fotum est.

Quae

Quae cum fruſtra eſſent omnia, decrevimus tandem primo mane pharingem perſecare; ſed neceſſaria ad hanc operationem inſtrumenta nondum erant apparata, cum aeger ſpiritum efflaret. Multa ſunt in hoc caſu mirabilia & notatu digniſſima, praecipue haec: quod neque caput, neque facies aegri intumuerit, nec ſolito debilior fuerit vox & ne quidem rauca, nec febris admodum notabilis, denique quod animo hilari ſatis in Noſocomio obambulaverit. Diſſectum cadaver nulla veſtigia inflammationis, neque alios morbi effectus exhibuit, quanquam a ſolertiſſimis Medicis & Chirurgis diligenter exploratum fuerit. Quid de ipſo dicam malo, quod fauces eum in modum prehenderat, ut aegrum breviſſimo tempore enecaret, non habeo.

CASUS QUINTUS.

Redeo ad Aethiopes, quorum curatio Medicorum induſtriam in Coloniis Americanis pulchre exercet. Horum quidam 36. circiter annos natus, parvo ſed robuſto corpore, currui exiguo, quo ligna vehi ſolent, inſidens, ante Noſocomium compluribus e feneſtris proſpectantibus triſte exhibuit ſpectaculum. Nam cum alium Aethiopem, qui forte obviam venerat, ſibi inimicum flagello percutere vellet, forti corporis niſu pronus in terram praecipitatus eſt. Et quamvis altitudo vix tres aequaret pedes, mortuus videbatur. Hunc ſublatum adſtantes in Noſocomium detulerunt. Juſſu Medici vena ſtatim ſecta, clyſteres adplicati, & quaecunque motum vitalem fortiſſime ſolent excitare, ingeſta ſunt. Fruſtra fuere omnia. In vitam revocari non potuit. Poſtero die cadaver diſquiſitioni anatomicae ſubjectum, nullam cranii laeſionem, nulla vaſorum in cerebro ruptorum indicia exhibuit; nihil eorum, quae in carnio continentur, loco motum aut depreſſum; ſinus tantum

aliaque majora vasa sanguine infarcta apparuerunt. In reliquo corpore nulla prorsus mutationis aut laesionis vestigia. Inter explorandum, cum de causa mortis subitae sermo esset, adstantium nonnulli Aethiopem ebrium fuisse testati sunt. Credibile igitur est sanguinis rarefactionem & nervorum tensionem, quae a spirituoso potu induci solent, animi pathemati ex conspectu inimici orto, in tantum aucta fuisse, ut cerebrum non potuerit quassationem ex lapsu haud gravi ferre, quin statim deficeret.

CASUS SEXTUS.

Consiliis publicis Praefectus magni corporis & animi Vir, quinquagesimum quintum aetatis annum decurrens, cum venationi & vino juvenilibus annis indulsisset, deinde quadragenarius muneris ratione ad vitam sedentariam redactus omissis exercitiis Bacho occasione data litare pergeret, torminibus podagricis statis temporibus redeuntibus vexari coepit, quibus defunctus pristinum vigorem recipere sibi videbatur. Non obstantibus his naturae monitis, atque amicorum consiliis suetum vitae modum tenens, cum per aliquot dies Bacho sacra fecisset, humoribus aliunde plenus, & cholerico sanguineus temere sese aurae frigidae vespere nocturnoque tempore exposuit. Brevi post haemoptoen passus est. Ad opem ferendam vocatus e vena in brachio pertusa octo fere sanguinis uncias (copiam & agitationem humorum temperaturus) aegro subtraxi; pulveresque antispasmodicos rubros admistis paucis granis Camphorae, subinde sumendos praescripsi. Tussis quidem haud adeo violenta erat, ea tamen commotus pulmo magnam copiam spumantis sanguinis identidem rejecit. Nihil inde molestiae sentiebat aeger, nec urgebat febris, pergebat tamen copiosum exspuere sanguinem. Anodyna motumque sedantia, leviter etiam adstringen-

tia

tia in ſubſidium vocanda videbantur. Inter haec miſtura anodyna e liquore min. Hoff. cum ſyrup. lim. & papaveris albi compoſita plurimum ſolatii attulit. Ceſſavit ſanguinis ſputum; placide partem noctis dormivit; a ſomno animum ſibi redire ſentiens ad ſueta vitae múnia viribus ſuis confiſus rediit. Verum alvus ſuo deerat officio; negabam laxans remedium, quod aeger rogabat; multiſque demum precibus impetravi, ut domi ſe contineret. Triduo alvus obſtipata manſerat. Quid facerem? Enema vulgare ex aqua & oleo, pauxillo ſalis impraegnatum injici juſſi; nullum inde levamen; quarto die maſſam pillularum balſamicarum cum extracti Rhei granis x mixtam conveniente doſi exhibui; Ter inde alvus mota eſt, totoque die aeger bene ſe habuit. Ergo bonae valetudinis ſenſui nimium fidens veſperi ejusdem diei potatoribus ſe adjunxit, & vino oneratus per frigidum aerem domum rediens nonnihil inquietus in lectum ſe compoſuit. Tertia poſt mediam noctem hora ſenſit redire ſanguinis ſputum, & tamen ob tenebras neminem in auxilium vocavit. Itaque per tres continuas horas magnam ſanguinis copiam ore rejicit. Tandem ſub diluculum ingenti rejecti ſpumantiſque ſanguinis copia perterritus, me nulla interpoſita mora adeſſe jubet. Ego ſtatim venam in pede aperiri, & memoratae miſturae uſum repeti jubeo. His quoniam ſanguinis vomitus non potuit compeſci, alter Medicus in conſilium advocatur, cui placuit (nec ſane alienum videbatur) fortiore decocto paregorico eodemque emolliente nimios naturae motus in ſanguine rejiciendo perdomare. Siſtitur tandem ſanguis; ſed aegri interea vires adeo erant labefactatae, ut ſeſe in lecto erigere non poſſet. Juſta victus ratione pedetentim robur corporis reſtituendum videbatur. Nec deerat appetitus alimentorum. Nihil tamen virium corpori inde acceſſit. Pulſus admodum exiguus manebat,

& vix percipiendus, urina pallidi coloris & incocta. Caetera aeger nihil molestiae sentiens Medicorum suasu roborantibus & cardiacis, quibus animus & vires erigerentur, utebatur. Imprimis Elixir. visc. balsamum vitae Hoff. & vinum Rhenanum generosum huic scopo satisfactura videbantur. Sed frustra fuerunt. Nec cortex peruv. nec Cascarilla solatium adferebant. Quidquid denique remediorum ars habet, effectu caruit, protracto licet diligenter per aliquot septimanas usu. Alvus modo adstricta, ut nonnisi per clysteres moveri posset, modo laxa erat. Feces semper fere albas edebat. Artus in utroque latere frigidi, nec frictionibus, nec aliis modis vitalem vigorem recuperabant. Lenta febris vesperi & insomnia per noctem redeuntia aegri vires atterebant; interdiu deambulabat per aedes suas. Hic fuit rerum status per quatuordecim dies sine insigni mutatione. Tum vero bono, ut videbatur, omine, urina cocta magis & coloratior coepit esse, cibi etiam major appetitio, in artubus caloris paulo plus, perspiratio quoque expeditior, animusque hilarior, color denique fecum naturalis. Jam Medicinae & Medicorum opem insuper habens aeger lactus cum amicis, qui sanitatem recuperatam gratulabantur, prandens subito vertigine correptus omnia, quae assumserat, evomuit. Advocatus valde debilem levique febre laborantem in lecto inveni. Difficile erat in re admodum dubia consilium. Ergo nihil praeter liquorem Anodyn. m. Hoff. cum balsamo vitae per vices propinavi. Advenit interim alter Medicus in consilium vocatus. Is antispasmodica, nervina, cardiaca aegro profutura ratus primum effecit, ut insomniis mirum in modum turbaretur; successit deinde febris & Orthopnoea, quae matutinis horis initius, reliquo tempore vehementius aegrum exercebat. Pulsus interea valde debilis erat. Tertius quoque Medicus in consilium vocatus pronuntiabat, morbum

bum esse Peripneumoniam. Hujus ex sententia decoctum salviae & alia pectoris obstructionem solutura remedia dari coeperant. Sed neque sic quidquam profecimus. Mortuus est aeger die vigesimo octavo, ab initio morbi, vigesima quarta circiter ab ultimo paroxysmo hora. Dolendum, quod inspectio cadaveris non fuerit permissa! Quamobrem nihil certi de causa Morbi constituere licet. Conjecturas nolo addere.

Observatio Physica de Torpedine pisce.

Mirabilis sane est commotio, quam *Torpedo* in corpore hominis ipsum tangentis producit, quae quoniam haud absimilis est concussui electrico, multi hunc piscem cum lagena leidensi compararunt, omnemque ejus efficaciam ab electricitate derivandam esse consuerunt. Hanc ego sententiam neque meam facere, neque omnino rejicere velim. Erunt fortasse, qui ex sequenti observatione eam confirmari posse existimabunt, illi scilicet qui magnetismum & electricitatem ab eadem caussa proficisci opinantur. Torpedinem mense Julio anni 1764 sex pollices longam, unumque crassam paulo diligentius observare coepi. Erat in vase sat spatioso, ut commode nataret. Facultas concutiendi tanta ei erat, ut qui attigerunt, insignem stuporem sensusque & motus quandam abolitionem ad tempus experti fuerint. Ipse rem periclitatus molestam habui sensationem per duas fere horas, praesertim in articulis digitorum & brachii, quo eum tetigeram. In caeteris corporis partibus nihil incommodi percepi. Praesto forte erant duo magnetes, naturalis alter, alter arte confectus. Ex uno eorum pendebat pondus quatuor unciarum; quo soluto magnetem pisci in tabula posito paulatim ad-

 movi,

movi. Piſcis ſtatim, quamvis nulla parte tactus, vehementer ſe movere coepit, & cum experiundi cauſa magnetem propius admoviſſem, vidi mirabundus piſcem magno conatu fugere. Hanc rem curioſius perquiſiturus magnetem aquae, cui innatabat Torpedo, impoſitum tenebam. Piſcis vario modo exagitatus media ferme hora elapſa magneti magis ac magis propinquavit, eique ſicut ferrum tandem adhaeſit. Hoc ſpectaculum a nemine quantum ſcio antea obſervatum adeo animum meum perculſit, ut ſine mora Amicos, ne teſtibus careret, advocari juſſerim. Inter hos erat Medicus quidam, idemque rerum Phyſicarum peritiſſimus, celebris Stockii, in Academia Jenenſi quondam Chymiae Profeſſoris filius, quem novum & inexpectatum phaenomenon haud minore admiratione quam caeteros, qui aderant, ſpectatores affecit. Itaque experimentum proſecuturi caute admodum ligneo inſtrumento piſcem magneti adhaerentem dimovimus, (nemine eum contingere auſo). Principio invitus ab unione, quam cum magnete contraxerat, recedere videbatur, avulſus languebat, in majori vero diſtantia vigorem priſtinum monſtrabat. Inter ſpectatores unus erat, qui eum ſine moleſto ſenſu manu tangebat. Brevi denuo ad magnetem acceſſit, quaſi attractus. Manſit in hoc connubio per dimidiam fere horam, deinde vero ſponte magnetem deſeruit, ſolito debilior & languidior, ita tamen ut ſeſe moveret. Poterat nunc impune tractari. Relictus in libramento aquae magnes non impediebat, quo minus piſcis cibum caperet. Exemtus vero aqua magnes ſubtiliſſimis ferri particulis conſperſus obſervabatur, quod eidem accidere ſolet limaturae martis involuto. Quae apparitio novae admirationi materiem, novoque conſilio anſam praebuit. Poſui ergo piſcem in labrum aqua repletum, in quod etiam arenas, puſilloſque piſciculos & vermes cum pane immiſi.

misi. Alacrior inde factus est, ut tamen impune potuerit tangi. Elapsis aliquot diebus explorans piscem prorsus inertem deprehendi. Octiduo post cum parem observassem inertiam, limatum ferrum aquae, in qua piscis versabatur, admiscui. Hinc nativum vigorem recuperasse visus est, siquidem aliquot diebus post insignem digitis meis vim intulit, ita tamen, ut ictus ad cubitum non penetraret. Tunc etiam magneti rursus admoto, ut antea, adhaesit, sed nec diu ei applicatus mansit, nec manum tangentem postea notabiliter commovit. Ab illo tempore nullam praetermisi occasionem explorandi mirabilem hunc Torpedinis quasi magnetismum. Observavi magnitudinem piscis multum facere, eique proportionalem debere esse magnetis vim. Cum enim sesquipedalem Torpedinem, valde gracilem, eodem lapide, quo priorem, allicere studuissem, id diu perficere non potui. Elapsis tandem viginti quatuor horis adhaesit. Minores Torpedines semper magis obsequiosos deprehendi, ita ut appropinquante magnete fortius commoverentur, & citius quasi victae attraherentur. At vero maximam Torpedinem, quam anno 1767. nactus eram, cujus crassities integrum fere pedem, longitudo quatuor pedes aequabat, a meis magnetibus omnino nihil affectam fuisse clarissime vidi. Operae pretium fecerit, qui generosiores magnetes huic experimento adhibuerit. Mihi satis est, observationem, prout se obtulit, naturae Curiosis exposuisse, quibus ego cum ipsius phaenomeni confirmationem tum caussae pervestigationem lubens relinquo & cupidus commendo.

WALDENBURGI
EX
OFFICINA
WITSCHIANA.